

pu . . .
[illegible] . Sed q[illegible]
sic. q[illegible] [illegible] q[illegible] [illegible]
[illegible] diffinitio sui obi[illegible] c[illegible]
quo [illegible] [illegible] [illegible] ut [illegible]
[illegible] ob[illegible] mt[illegible] . [illegible] [illegible] . ma[illegible] . pr[illegible]
[illegible] ad op[illegible] ut [illegible] [illegible] [illegible]
. no[illegible] vult [illegible] [illegible] [illegible] ide est
p. v[illegible] intelle[illegible] [illegible] no[illegible] [illegible]

principus . si [illegible] [illegible] . si [illegible] ea que [illegible] ex principus sic [illegible] [illegible] q[illegible]
[illegible] q[illegible] [illegible] [illegible] ex principus necc[illegible] . si [illegible] [illegible] [illegible] pna . si
[illegible] a [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] . que [illegible] [illegible] [illegible] . si sunt [illegible] [illegible] sic [illegible]
[illegible] [illegible] qui [illegible] [illegible] . si sunt [illegible] [illegible] sic [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] . sic [illegible] [illegible] [illegible] separatio . [illegible] . [illegible] . [illegible] intelle[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] intell[illegible] . Tunc [illegible] [illegible] . [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] . op[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] . [illegible] soluti [illegible] [illegible] opio [illegible]
sunt [illegible] [illegible] no [illegible] [illegible] [illegible] . [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

mo[illegible] sic quia p[er]ficit ap[osto]l[u]m. d[i]c[itu]r [illegible] intellectualis [illegible]
[illegible] ma[illegible] [illegible] q[uia] e[st] no[illegible] q[uo]d [illegible] ap[osto]l[u]m. sic [illegible]
no[illegible] sic [illegible] [illegible] q[uia] [illegible] que e[st] [illegible] [illegible] . [illegible]
mo[illegible] [illegible] [illegible] . [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] . [illegible] [illegible]
[illegible] co[rpo]r[is] . q[uia] omnia [illegible] corp[or]is mo[illegible] . [illegible] [illegible] . [illegible] ap[osto]l[u]s [illegible]
[illegible] no[n] [illegible] [illegible] [illegible] . [illegible] sic [illegible] [illegible] [illegible] q[uia] [illegible] [illegible]
[illegible] e[st] obedire d[e]o . [et] alii [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] . i[n] ap[osto]l[u]m
[illegible] e[st] [illegible] [illegible] . [illegible] p[ro]p[ter] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] q[uia] [illegible] [illegible]./

[illegible] . [illegible]
[illegible] co[illegible] phil[osophus] . [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] C[illegible]
[illegible] . q[uia] ap[osto]l[u]s [illegible]
e[st] [illegible] [illegible] q[uae] e[st] i[n] [illegible]
[illegible] a[illegible] [illegible] [illegible] que [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[et] [illegible] electo a[illegible] [et] [illegible] e[st] [illegible]
que [illegible] [illegible] [illegible] ap[osto]l[u]s [illegible] [illegible]



FR. BALDVINI RESPONSIO ALTERA AD IOAN. Caluinum.





PARISIIS, M.D.LXII.
Apud Guil. Morelium typographum Regium.
Priuilegio Regis ac Senatus.

IOANNES VETVS CAROLO LOTARINGO PRINCIPI

& Cardinali Illustriß.

HOC anno Ioannes Caluinus & Franciscus Balduinus inter se contendunt, inæquali quidem iure, sed tamen non dissimili robore, nec impari lacertorum animorúmque contentione. Non enim Caluino aduersarius nobilior potuit existere, cum quo gloriose in arenam aciémque descenderet: at non eidem causa leuior & iniquior subesse, ex qua pugnandi occasionem ansamque arriperet. Quid enim Caluinus, aut quorsum Balduinũ lacessat, à quo nulla iniuria, sed ne verbo quidem sit vnquam violatus? Quæritur de quodam libro, qui superiore anno in Germania est euulgatus, & Pij viri, ac Reipub. tranquillitatis studiosi titulo argumentóque donatus: cuius quidem libri Balduinum auctorem fuisse confingit. Primum, quid est quod ille liber tãtopere indomitam hominis bilem concitat? Vtrum audito pii viri nomine offenditur, quasi pii viri appellationẽ memoriámque de medio sublatã esse velit? An vero quod componẽdorum dissidiorum ratio aliqua ab auctore perquiratur: ipse autem dissidia non placari, sed crescere, sed disseminari malit, ac propterea concordię pacísque arbitros & mo

deratores, veluti iuratos hostes, oderit? Mirũ vero hominis ingeniũ, qui tametsi hoc vnum à Deo singulariter intelligit esse præceptum commẽdatum, vt litium modum, & mutuam inter nos ipsos gratiam appetamus, vt in eandem sententiam beneuolentiámque coeamus, conditiones nihilominus conciliandæ Ecclesiæ atque hominum societatis negligat, refugiat, insectetur. Deinde vt liber ille nauseam male affecto eius stomacho cõmouerit: an cõtinuo in Balduini sinum cruda suæ iracundiæ frusta turpiter euomere nunquam intermittet? Sed aliud est profecto, quod hominẽ discruciauit. quod quale fuerit, videor tandem, nisi fallor, coniiciendo & indagando assecutus. Nam quo tempore bonus nimirum magister è sua schola eos in Galliam dimittebat, qui dissensionum, quas toto regno ardere cernimus, faces præferrent, eodem pene Balduinus è Germania in Regis Nauarræ clientelã, multorum votis studiísque expetitus, veniebat. Nescio an Caluinus à Balduino sibi metueret, quem plurimorum cõsiliorum testem consciúmque, nulli tamen culpæ affinem aliquando habuerat: certe publicæ tranquillitatis amantem, miniméque turbulẽtum & antea fuisse, & perpetuo fore sciebat. Itaque illũ in Gallia minus æquo animo perferre cœpit, & nonnihil etiam subuereri, ne si à patrono suo Rege serenissimo, & de motuum compo-

nendorum rationibus deliberãte, atq; adeo ab aliis proceribus auditus esset, vt audiri cœperat: concordia cõstituta, spes omnis explicandæ proferendæque factionis, ipso statim initio interrupta penitus concidisset. Hæc opinio paulo post quorundá, qui factioni incumbebãt, literis confirmata, magistri suspiciosi, nimiúmque meticulosi exulceratũ animum ita perculit, vt violentus & furens repente ad Balduinum conuitiis dilaniandum, intemperanti Bacchantium more, æstúque præcipiti & effrenato proruperit. Nullum, opinor, maledictum ne in flagitiosissimis quidem lustris & helluationibus iactari solet, quod non hic censor Theologus è suo copię cornu eruerit; & in viri optimi doctissimíque caput indigne atque inuidiose contorserit. Quid autem Balduinus? Miratur sane tam improuisum aduersarii furorem, tanto iracũdię impetu in se cõcitatum: & eo quidem magis miratur, quod cur eo tam impudens calumnia sese proiecerit, nullam omnino causam suspicari aut diuinare possit. Nam neque de libro illo quicquá resciscebat, nisi quod Cassandrum cuiusdam libri, qui tunc à plerisque legeretur, parẽtem fuisse accipiebat: neque aliũde abs se oblatam exercendarum inimicitiarũ occasionem vel leuissimam vnquam fuisse sciebat. Ergo vt importuno cõuitiatori, quem tamen non nominabat, satisfaceret, quanta maxima potest, vel

etiam maiore, quam debet, modestia & continentia respõdit, eidémque collectas ex libris Iureconsultorum, leges, quæ aduersus sceleratos calumniatores perlatæ reperiũtur, temperate proponit, vt iandem aliquantum territus aduersarius caluere calumniaríque desuescat. Idque sperans, & propterea iam securus, Lutetiam quam plurimorum togatorum precibus & literis accersitus, perpetuæ iurisprudentiæ cum vniuersa historia vtilissimam, & hactenus à paucis intellectam coniunctioné profiteri cœpit. Qua in coniunctione tantam literarum omnium & antiquitatis scientiam profert, vt minimè pigeat doctissimos Curiæ summæ patronos in iuris & legũ studio vsq; diu & multum versatos, tamẽ Balduino, tanquam Moloni cuidam Apollonio, sese recoquendos tradere. Quatuor aut quinque menses in suscepta duarum difficillimarũ rerum professione, assidua operà, & incredibili audientium applausu perduxerat, cum ecce iterum terribiliora conuitiorum fulmina ex lacu Æoli, vel potius Vulcani Lemno aduehũtur: quęquidem vt Balduinum nihil de gradu constantiáque deiiciant, multorũ tamen officiosissimorum auditorum animos nõ mediocriter offendunt, qui cum grauiter ferant aduersarii importunitatem toties sine causa repetitam, tum verò magistri sui innocentis existimationem calumniis proterue appeti, &

quietem interturbari ægerrime patiuntur. Et certe memini plures tunc ex nostro numero, id est, ex Balduini amantissimis discipulis, viros graues, & dicendo, scribendóque exercitatos præsto fuisse, qui eius causam ardentissime acturi fuissent, & aduersarii μεγαληγορίαν audaciámq; refrenaturi, si eorũ patrocinio vti & ad isti⁹ exẽplũ, auxiliarios adhibere scriptores, optimus doctor voluisset. Verũ ille laudata suorũ erga se volũtate, tãtũmodo postulauit, vt paululũ sibi ocii & temporis ad respondendũ cõcederent. Itaq; triduo sumpto, hanc quę nunc editur, alteram defensionem festinanter partim scripsit, partim dictauit. quam quia in eo æstu prope tumultuarie effudit, & ab hoc scriptionis genere vehementer abhorret, nonnullos veteres imitari instituerat, qui sæpe multa scripserunt, quæ ipsi non ediderunt, & proinde ἀνέκδοτα appellarunt. Sed ne id faceret, complures auctoritate & fama excellentes viri intercessere, qui non solum Balduini, sed etiam Reipub. interesse iudicarunt hanc defensionem quam primum euulgari, ne nimium procax & proteruus aduersarius sine sudore & sanguine suos pæanas caneret. Neque verò iidem existimarunt aliã esse necessariam perpolitionem huius responsionis, quam primo calore, tanquam abortiuo partu sese acerbe denuo prouocatum, & iustissima offensione commotum eiecisse auctor dice-

bat. Nam & ipsi reputabāt illud Quintiliani: *In maximo dolore nulla est obseruatio artis, sed ab exordio vsque ad vltimam vocem, perpetuus quidam gemitus: & argumentu vti licet mixtu & confusis.* Quamobrem eorum rogatu nō dubitaui ipse edere primam hanc, quę in meas manus inciderat, vix licet ab auctore pertextā informationem æquissimę querimoniæ, qualécunque vel ab inuito iustus dolor expresserat. Credo equidem si ocii pluſculum nancisci, seriísque maiorum studiorum occupationibus aliquid detrahere, vel sua bibliotheca, qua eum etiānum esse destitutum scio, vti potuisset, fusius fortasse aliquot, quos non nisi obiter attigit, illustriores & nobiliores locos pertractasset, in quibus eo lubentius institisset, vt ab homine inimico suas cogitationes ad rem ipsam, quæ plus esset allatura vtilitatis, plane cōuerteret. Verum id alias fortasse licebit. Interea hāc Balduini defensionē ad te referre, certis de causis visum fuit. Nā aduersarius ipse te iudicē veluti appellat, cū multa affirmet, quę nō nisi tuo testimonio refelli possunt: & res ipsa iudicii tui vim, admirabilémq; sapientiā necessario flagitare videtur. Cui enī, quæso, huius cōtentionis disceptatio potius debeatur, quā tibi, cuius maximū studiū in religionis cogitatione, & dissidiorum conciliatione transmittitur? quémque memoria tenemus dicendo, disputando, cōcionando, pertinacissimis

exquisitísque aduersariis palmá præreptam reportasse? Quod quidem vestro illustriss. generi & familiæ nobiliss. veluti proprium esse, etiam recordor. Nam & antiquitatis memoriam ex annalibus nostris repetens, & ad hęc vsque tempora quàm longissime perducens, reperio vestrum genus & nomē ad religionis integritatem vel constituendam, vel recuperandam, à Gottifredo Duce Bullonio in multos annos fuisse propagatum : quem ducem vna cum Eustatio & Balduino cōcordissimis fratribus, Christianorum, qui nomina in sacrum bellum dederant, copiis non modo adfuisse, verumetiam præfuisse, cuiúsque armis sanctæ terræ possessionem ex barbarorum manibus & faucibus receptam fuisse atque cōseruatā accepimus. Sed vt nunc quod instat agamus, en tibi Balduinum Caluini petitionibus fortiter obnitentem, quem oculis animísque persequimur, lubēter offerimus, vt, te iudice amplissimo, clarissimus Iurisconsultus cū magni nominis Theologo commissus, quanta iuris ac veritatis vis sit, ostendat. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Idib. Iul. M. D. LXII.

RES-

RESPONSIO ALTERA FR. BAL. AD IO. CAL.



OMMENTArium ad leges de Libellis famosis & de calūniatoribus, ego anno superiori, de via longa defessus multísque grauioribus molestiis fatigatus, neque ocio minus, quam libris meis destitutus, in aulico procinctu repente atque adeo tumultuarie scribere simul & edere coactus fui, cum ex Germania reuersus, non modo viderem, indignis calumniis & famosis libellis optimum quenque vexari, sed & incidissem in furiosam famosi cuiusdā conuiciatoris atque capitalis calumniatoris, de quo iampridē nihil alioqui cogitaueram, declamationem, quæ me pro alio correptum & importune exagitabat, & crudeliter proscindebat: & verò antequam respirassem, miro artificio iugulum petebat meū. Vt autem gemens & inuitus ad illam necessariā defensionem mei capitis & famę, depulsionémque contumeliosæ iniuriæ pertractus sum: sic viros bonos, & sanos, & sedatos, hoc est, omnes aduersario disſimiles, gaudeo iudicasse (quod

multis eorum ad me literis confirmare possum) neque iniquam, neque intemperantem illam fuisse: atque adeo miratos esse, non fuisse vehementiorem, cum quidem scirent in medio præcipitis festinationis, indignationísque iustissimę calore effusam esse, & meminissent (quod lex ait) difficile esse iustum dolorẽ temperare: simúlque intelligerent, quàm indigne essem lacessitus, & quam multa tamen, quæ accusatori tam proteruo debueram potuerámque verissime obiicere, honoris eius (cuius nomini peperci hactenus) causa, tacerem atque supprimerem. Etsi autem cum hominis naturam & ingenium nossem satis, cum neque vlla oratione placari, neque vllis legum minis reprimi posse, vt aut deinceps quiesceret, aut peccatum, cuius erat conuictus, confiteretur: imo verò non nescirem, tanquam feram, quæ cùm irretita tenetur, magis iritatur, magis atque magis rabiem suam inflammaturum esse: tamen non inuitus audiebam, bonos quosdam & simplices sponsores, qui, quia illum non nouerant satis, prolixe pollicebantur, superiori mea admonitione repressum, fore deinde in maledicendo continentiorem. Et ecce cum illi ita me consolarentur, terribiliori cum fremitu iterum prodit idem illius libellus famosus in linguam Gallicam conuersus, atrocioribus etiam conuiciis (vt in ea lingua est eius factionis ad maledicendum

mira facundia) refertus: neque ſcurrilibus modo dicteriis, ſed etiam repetitis ex lenonum ganeis obſcœnorum ſcommatũ floſculis comptus, ſimul & fulmineis anathematiſmis armatus, vt in vulgus ſparſus multitudinem rerum imperitam (quam magiſter iactat ſe ſolo ſibilo impellere quouis poſſe) in me, vt hac arte in alios ſolet, concitaret. Ac quidem, qui hanc eius recoctam fabulã venditabant, cum de mea reſponſione admonerentur, ſuauiter riſerunt, dixerúntque ſeſe ſcire ſatis, falsò mihi impingi quicquid conuiciator affingebat, neque errore, ſed dolo me pro alio peti. Verum auctorem ita agere ſolere, neque vllis, quas protuleram, legibus eum teneri: imo verò Dictatori licere, quo iure, qua iniuria, quos vellet, proſcribere. Hæc ego audiens, iterum attonitus obſtupui, & potius quam Gallica viciſsim reſponſione ad vulgus vterer, Deum meliorem iudicem cum lachrymis appellaui: eóque præſidio cõtentus experiri volui, num ſilendo ſedare poſſet patientia mea effuſam iracũdiam bilioſi Magiſtri. Iámque fatua neſcio qua ſpe prope ſecurus, cœperam meliori bus me ſtudiis dare, & ad duas, iuris Ciuilis & hiſtoriæ vniuerſæ, prælectiones quotidianas, in quibus eſſem, vt etiamnum ſum, totus, ſum aggreſſus, quo magis abs triſti conſpectu funeſtiſsimarum factionum, quæ nũc tumultuantur, reuocatus, me domi cõtinerem, me-

lioríque conſcientia in literis bonis acquie-ſcerem,& interea me cedente, in ſuo curriculo elatus, & triumphans in puluere Olympico, ſuperbíſque quadrigis inuectus, ſatiare ſuam ambitionem poſſet aridus hic Olympionices. Et verò iam aliquot menſibus beatus, nihílque prætereа metuens, placide me illis quas dixi, prælectionibus addictum abditúmque incluſerã, & cum legibus hiſtoriam veterem reuoluens,non minus mihi conſolationis,quàm auditoribus meis vtilitatis adferre videbar: neque non me boni conſolabãtur auditores,qui fortaſſe aliquando ſedebunt iuſtiſſimi iudices earum turbarum, quas in hoc Regno ciet aduerſarius. Ac huius licet claſſica aures noſtras circumſonarent, tamen aliquid ocij quietíſque,illum,interea dum alibi bellum gerit, ſuburbanæ noſtræ Academiæ conceſſurum eſſe, imprudens putabam: ſaltem paſſurum eſſe,vt is,quẽ iam annis prope xx. iactatum circumagit, aliquando reſpiret. Et ecce, ne longæ eſſent hæ induciæ, (quod etiam mihi minaces quidam eius emiſſarij denunciauerãt atque prædixerant)noſter bellator collectis nouis anathematum plauſtris, iterúmque in me inuehitur,falcatíſque veluti curribus inuectus,plures etiã aurigas ad congerẽdum maiorem maledictorum cumulum conducit,&(ne nõ det ſpem aliquã cõuerſionis)conuerrit quicquid poteſt, vt quadrato

agmine impetum in me faciat. Itáne vero fortissime Ioannes (nam cum nomen tandem tuum edideris, bona gratia mihi licebit te tuo nomine compellare) ad eum proterendum, quem non pluris, quàm muscam, facis, tot elephantis opus fuit, quos in prima acie, atque adeo in fronte libri tui collocas? An eò te reci disse putas, vt tales triarios accersas, qui tibi veluti deficienti succenturiētur? & veluti carceribus refractis seruos & fugitiuos ad arma voces? Ergo iterum, vt attonitus trepidē, tua tuorúmque Chalcographorū buccina *procul aere canoro increpuit, Et tuba terribili sonitu taratantara dixit:* cumque tam multos vbique hostes magnos & fortes habeat hic Thrasymachus, qui eum prouocēt, iis relictis, me vnum quem libris ciuilibus inhærentem, secure contemnere poterat, iterum gladiatorio animo impetit, quémque antea confoderat, conficit. Quid istud tādem est mi Ioannes? Multi abs Theologo reformato expectabant aliquam pœnitentiam, errorísue deprecationem. An theologica esse dicetur pœnitentia alicuius latronis, qui cum incautum viatorem spoliauit atque vulnerauit, posteaquam de suo flagitio admonitus est, redit: & quem saucium atque semiuiuum reliquerat, iugulat? Equidem putabā me aliquo veluti poppysmo, quo domitores equorum vti solent, leniisse tuam ferociam: & ecce nunc videor cicadam ala corri-

puiſſe. Putabā cum noſtras de Calumniatoribus leges ederem, frenum aliquod tuæ maledicentiæ inieciſſe: & ecce tuæ petulātiæ calcar addidiſſe videtur illarum recitatio. Nam neque putas te talibus legibus teneri, & fortaſſe tibi iniuriam fieri putas & iraſceris, cum ad earum ius reuocaris. Quid facerem? quia eas doceo, putaui mihi licere iis vti. Neque tamen in eo argumento deerat, quod ex ſacris literis tibi obiicerem. Quid enim illæ magis, quàm διαβολὰς execrantur? Sed bona tibi dicam fide. Non auſus ſum eas tibi obiicere, ne magis te iritarem. Nam & verebar, ne clamares non eſſe meum, eas attingere, quas in tua vnius eſſe poteſtate gloriaris. Verebar, ne ſi in eas te præſente ingreſſus eſſem, Theologus Iuriſconſulto litem finium regundorum intēderet, vel me potius nouo interdicto propelleres. Age verò, tu tuo more agere vis? Cum declamas, cum accuſas, cum calumniaris, non vis in ius venire: neque magis eremodicij, quam calumniæ pœnam reformidas, quia leges noſtras cōtemnis. Fremis etiam & indignaris, cum infelix reus obiecta crimina, quæ pernegat, contendit ab accuſatore probari debere. Ergo quid hic aliud poſſum, quā cedere? ſicuti facerem, ſi tu me ad duellū prouocares, præſertim cum meæ diſciplinę ſit vis feſtucaria, potius quam illud. *Non ex iure manu conſertum, &c.* Quid? cum audiam alterum eſſe

te Periclem,qui tonando,coruſcan do,fulminando permiſcuit Græciam:tibíque etiam tribuatur illa vis Periclis,qui cum ab aduerſario victus atque proſtratus erat,tamen declamando aliis perſuadebat ſe viciſſe, aduerſariúmque iacere proſtratum : quid ego tecum verbis contendam? Et quid tandem me miſerius erit,ſi ſepius in hoc certamen deſcendere cogar,ex quo etiam qui victor diſcedit, non diſcedit niſi deterior? Ergo proteſtatus antea ſum,quod nũc iterum dico,fugere me,quàm ita tecum pugnare,malle. Ac,ſi vis,iterũ confiteor,me tibi non eſſe parem in tali arena. Tu iampridem in iſto puluere maledicẽdi atque declamandi exercitatus es:ego in umbra imbellium ciuiliúmque diſputationum educatus. Tu magnus & potẽs populi Magiſter es, multis & miniſtris & mancipiis armatus, & ſatellitibus ſeptus,& factionum ducibus ſubnixus: ego legum non tam Doctor,quàm ſtudioſus, nullis viribus, nullis clientelis, nullis denique præſidiis munitus. Tu ingenioſiſsimus,doctiſsimus, facundiſsimus, clamoſiſsimus,& quid non?ego nullius ingenii,exiguæ doctrinę,puerilis infantiæ. Denique tu miles veteranus,ego tiro rudis. Ergo omnia tibi largior & concedo. Quid me iterum laceſsis? Et ſi me,hominem inermem & imbellem, &(vt quidam nuper ex tuis Mirmillonibus diceqat)animi prope effœminati,vincas,frangas,

prosternas, proteras: quid tuæ gloriæ, quid tuis triumphis ex tali trophæo accedet? Tenes vetus illud,

-nullum memorabile nomen,
Fœminea in pœna est, nec habet victoria laudem.

Et quoniam eo Poeta delectari me gaudes, & eius (vt ais) tinnitu demulcere te cupio, tibi illud quoque occurrat,

Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis,
Túque puérq; tuus, magnũ & memorabile nomẽ,
Vna dolo diuum si fœmina victa duorum est.

Quid? Si serio pedem conferre velim & congrediar tecum, vereor ne statim tuus armiger rideat, cum Achille Troïlum cõgredi, & eius pugnæ tabulam tui pictores venditent cum hoc eiusdem Poetæ carmine,

Parte alia fugiens amißis Troïlus armis,
Infelix puer, atque impar congressus Achilli,
Fertur equis, currúque hæret resupinus inani,
Lora tenẽs tamẽ, huic ceruíxq; comæque trahũtur
Per terram, & versa puluis inscribitur hasta.

Et verò cùm te nossem, diligẽter mihi semper cauisse videbar, ne tuam bilem iritarem. Nam & memineram quod Plato in Minoe monet, genus iritabile vatum non esse offendendum aut lacessendum. Audiebam quid olim Archilochus minitãs respondisset, quid Horatius ipse, *-qui me commorit,*
Flebit, & insignis tota cantabitur vrbe.

Sed vt antea me vltro impetisti, cum de

te nihil cogitarem, ſic nunc rurſus abs te laceſsitus, fugere cædereque malim quàm in hanc, in quam me vel inuitum trahis, arenam deſcendere: & potius quàm retiarius videar, φεύγων dici non recuſo. Nam & quam multi ridebunt male cõmiſſum par gladiatorum, illinc Theologi magni & terribilis, hinc iuris ſtudioſi timidi, minimeque pugnacis. Fortaſſe quoſdam audire, qui me reuocant fugientem, & aduerſarium, qui ſe inuictum eſſe fingit, vinci poſſe aiunt, cum priori impreſſione iam offenderit, & impingens ſeipſum prope deiecerit.

-& fragili cupiens illidere dentem,

Infregit ſolido.- Sed noſtrum dentatum ſentio iis quibus vti nolim, telis eſſe armatũ. Scio equidem Deum interdum velle funda puerili frangi iſtos tam minaces ſuperboſque ſpiritus magnorum Gigantum. Sed ex hiſtoria Dauidis lubentius didicerim, cedere tumultuanti Saülo, præſertim cum minime adſpirem ad illud ſolium, quod affectas, neque etiam mihi quicquam in eo iuris ſit: liceat mihi modo, bona tua gratia, quoſdam pſalmos, quos Dauid Saülum fugiens, ad Deum conuerſus cecinit, gemẽdo canere, iiſque nos conſolari, quibus ille animum obfirmauit ſuum aduerſus tot ærumnas, tam importunam crudelitatem inuidiæ, tot inſidias calumniæ, tot ſpicula linguæ venenatæ. Neque tamen pro-

pterea minus tibi, si quid precando tibi prodesse possimus, bene precari desinemus. Imo vero si qua nobis esset vel lyra vel cithara, qua exemplo Dauidis, possemus aut sedare aut lenire maniam furentis aduersarii, nullum nobis antiquius carmen esset. Olim tuus Caius Gracchus, cum ad populum concionaretur, post se habebat puerum musicum, qui eburnea fistula leniter reuocabat nimis cōcitatos impetus concionātis Tribuni pleb. Sed nos tam musici non sumus, quàm non sumus medici: & tu tam melancholia tua delectaris, vt si monitores eam discutiant, exclamaturus sis quod ille apud Horatium,

Pol me occidistis amici,

Non seruastis. Equidem nihil ferre facilius possum, quam vt me conspuas, si bilem tuam vomendo sanare possis, vt abs te audire istuc Ciceronis, χολὴν ἄκρατον *eieci: statim ita sum leuatus, vt mihi Deus aliquis medicinam fecisse videatur.* Sed vereor, ne si non cogaris resorbere tuum vomitum, biliosi istius humoris, quo redundas, fons vberior ebulliat. Neque tamen vllam aut curationem aut medicinam polliceri tibi possum. Nam & forrasse incurabilis morbus est ambitio incitata gloriæ stimulis, & vltionis dira cupiditate. Denique me deterret quædam tua confessio. Meministi, si vis, quid olim ad Bucerū tuum scripseris, cum agnosceres te grauiter ab illo

esse reprehensum, quod ex vanis (verba hæc tua sunt) suspicionibus extemplo in fratrum odium prorumperes, & non ferenda intemperie ebullires. Scribebas te ab illo iudicari maledicendi morbo infectũ, impie audacem, falsum accusatorem, rabidum, fratricidam, & quid non? Cum veniam peteres, hæc adiiciebas: *Vt verum fatear, nulla mihi cum maximis & plurimis meis vitiis difficilior est lucta, quã cum ista impatientia. neq; certe nihil proficio: sed nondum id sum consecutus, vt talem belluam planè domuerim.* Hæc (inquam) tua fuit ingenuitatis plena confessio. Alij nunc iudicabunt, ecquid luctando in hoc genere profeceris tot deinde annis, quibus de regeneratione, de mortificatione, de patientia, diceris sæpe esse concionatus: & quod in Galatis, qui cum spiritales esse cœpissent, facti deinde sunt carnales, Paulus notat, an te quoque inuoluat, æstimabunt. Sed si illa tua bellua, non iam dico minime domita, sed potius efferata magis, nunc impotẽtius furit: non dicam quid vel de homine Gentis Domitiæ, vel de tuis concionibus, vel de natura tua iudicaturi alii sint: verum, obsecro, quæ tandem spes est, abs aliis, nedum abs me, posse monendo leniri talem ferociam? Ita est sane mi Ioannes: nihil agimus, nisi si Deus istos animos tam tumidos contundat, & spiritus ille cælestis, fera corda domans, istos tam elatos spiritus subigat. Sed vnde ista effera vis

animi? Dicerem illud comicum, *Adeóne ferox es, quia Imperium habes in bęlluas?* Verum etsi eos quibus imperas, prope pro pecudib⁹ habeas, tamen fateris te intus aliam alere belluam, quam comprimere non possis. Et quidem in iisdem ad Bucerum literis addidisti, istud ingenii tui tumentis inflatum vitium, esse genii potius quàm iudicii. Male sit huic malo genio qui te torquet. Ego nondum sperare desinam meliora, præsertim cum non videam quid te hominem aridum tam valde inflare debeat. Nam etsi scientia inflare dicatur, ne ea quidē tamen Theologia, propter quam tumes, tuæ inuentionis est. Qualiscunque enim sit, erat ab aliis antea euulgata in Germania vel Heluetia. Et licet sit abs te ingeniose vel interpolata, vel polita, vel aucta, vel in linguam Gallicam conuersa: tamen quę tandem ea tanta est gloria, quæ te propterea tanquam fermento inflatum supra nubes ventoso curru attollat? Scribunt & alii similes commentarios, qui tamen tuo exemplo non attollunt aut supercilium, aut cristas. neque sane Christi religio est, quæ talem fastū alit. Ergo si relegas illos tuos commentarios, desperare non possum, tibi aliquando in mētem venturum esse, quid te deceat. Et quæ tandem tam fera natura esse potest, quam nulla neque doctrina, neque religio cicurare posit? Scis ethnicum Poetam etiam dixisse.

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere poßit,
Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

An tam teneræ & impatientes tibi aures sunt, vt nondum, ne illam quidem, tam suauem & Euangelicam culturam admittant? illam dico, quam alioqui tot iam annis alios docere te dices, vocem cælestis magistri, *Discite à me quia mitis sum, &c.* Hîc fortasse commotior exclamabis, Facessat hæc disciplina placidæ lenitatis, vbi sæua seueritate pugnandum est. Atqui mitißime Ioannes, quæ in hac contentione tandé est causa tuæ acerbitatis tam valde efferuescentis? Ego abs te indigne lacessitus famoso libello, & sine vlla causa indignissime vexatus, vulneratus, & confossus, putaui mihi licere aliqué gemitum edere, quem plane comprimere iustissimus dolor non sinebat: Putaui fas esse liquido negare, quod mihi falso obiiciebas, & vti iure gentium. An hoc maiestatis crimen est, quòd ausus sum queri, mihi à calumnia iniuriam fieri? An cùm *ὕβρις* aliquem indigne pessundat & proculcat, nefas est eum dolere aut ingemiscere? In Pisoniana (quam te hominem frugi prope edidicisse, vt cui soles, terribiliter simul & eleganter maledicas, ex copia tuorum conuitiorum coniicio) Cicero exclamat: *Quis hoc facit vlla in Scythia tyrannus, vt eos, quos luctus afficeret, lugere non sineret?* Certe ipse Phalaris, quos in suo tauro torrebat, mugire patiebatur. At

tu cum me deglubis & mactas, ne balare quidem permittis. Imo verò cum abs te excarnificatus atque dilaniatus suspiro, carnificem esse me, & lanienas spirare, creparéque ais: nihil vt supersit, quam vt me eo etiam modo accuses, quo olim Fimbria nostrum Q. Mucium Scęuolam accusauit. En quāta sit istius in suo lacu Reguli diuturna impunitate veluti ebrii proteruia. Quid? Quia indolui, cum me configeres immerentem, nunc exclamas me dignum esse suffixione. Nam hoc tuum verbum est, quod ab aliquo Turcico carnifice didicisti, vt & alias ostendisti non nescire te, quid sit palum defigere: & fortasse aliquando audiuisti, quod quidam narrant de cruciatu Balduini II. Imp. Cōstantinop. à barbaris capti. Quid igitur? Audebone iterum mutire? Audebo, licet arma mihi, mortémque mineris. Prospicio equidem periculum. nam cum quo insidiatore nunc mihi res sit, scio. Sed capitis etiā mei periculo necesse est occurrere huic Polyphemo, qui fugientem magis insequeretur. Ac terreat licet multos trisulco suo fulmine, puerósque percellat sonoris suis crepitaculis, vel quibusdam præstigiis miseram multitudinem incantet: tamen spero superesse aliquos bonos, integros, fortes, & cordatos iudices, qui huius non minus, quàm prioris, apologiæ ius æstimabunt. Quam quidem si forte vehementiorem esse mirentur: aduersario nos gra

tificari voluisse sciant, qui secū vult agi acrius, apertius, vehementius. Denique sciant accessisse honestissimū calcar, cum hortatores accesserint quidam eius siue Ministri, siue collegæ, intolerabilem Magistri ferociam non ferentes: qui lecta mea priori responsione, scripserunt, immortales se Deo & mihi gratias agere. Vix audeo adiicere, quod adiecerunt, consurgendum esse aduersus superbiam, quæ se attollit supra & aduersus omne Numen: tamque claros spiritus esse cōtundendos. Ne quid fingere videar, eos, quorū habeo in hanc sentētiam scriptas ad me literas nominarem. Sed viris bonis ab sæuo Magistro nimis metuo. Fuerunt alii minus irati, qui, quia Orestis antea mentionem fecerant, nunc me memorem esse iubebant Horatianorum versuum,

Quin ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes.
Nil sane fecit, quod tu reprehendere possis:
Non Piladem ferro violare ausúsve sororem
Electram: tantum maledicit vtrique: vocando
Hanc furiam: hunc aliud, iussit quod splendida bilis.

Ego vero vix nostri quoque Orestis maledictis irasci possum, & quod Pilades fecit, facere nō recuso. Sed velim, nolim, aliquid respondendum est. Equidem alios, qui magis quam ego, idonei sunt ad respondendum, & quorum non interest minus, quósque non minus,

quàm me,hic hostis communis proscindit,rogaui, hanc vt curam susciperent. Sed tantum non modo herum,sed Heroem nolle pugnare cum lamiis(quas vocat,& laruis, respōderunt. Ac se quidem attonitos legisse istius (vt loquuntur) Iouis Lemannici noua fulmina in me iterum contorta:sed sibi videri,iis procurandis mihi neque carmina deesse,neque suffimenta. Equidem nō desinam alios,quos hic impotens anathematistes proculcat (& quos tandem ingenuos & rectos non proculcat?) cohortari,vt aliquando reuocēt attollántque animum,& iugum excutiant,& assurgentes, si opus sit, αὐτηβορταῖ audeant, istúmque Salmoneum compescant. Nam non is ego sum, qui tantum possim,quantum necesse est ad reprimendum hunc κεραυνοβόλον. Non tali auxilio, nec defensoribus istis tempus eget. Erit enim, quod iaciam, telum imbelle sine ictu. Et verò quidam nuper recte dixit, Herculem potius aliquem Caco fumanti atque incendia vana vomenti, esse obiiciendum. Interea tamen, quia cedere non licet, lacessenti aduersario etiam solus occurram:& quando tacere non est integrum, dicam aliquid, præsertim cum veritatis & famæ meæ causam deserere non possim.Nam etsi me mendax(vt idē Horatius vocat) infamia minime terreat: tamen mihi iterum venit in mentem Ciceronis admonitio:vt maxime falso accusetur aliquis,ta

men

men non esse negligendum: quanquam existimem veniã me petere debere abs lectoribus, quos istis odiosis(vt vere dicam)nugis obtundimus.Nam qua tandem de re litigamus suauissime atque optatissime Ioannes? Quis status est tuæ tumultuãtis actionis?Quis aut modus aut finis erit horum certaminũ? An hunc orbem, quod agat, nihil habere aliud putas, quàm vt ociosus operam det audiendis tuis raucis clamoribus?An vel in iis vel in eorum auctoribus quisquam putabit quicquam esse religionis? Quid dicet posteritas, non de me, cuius fortasse nomen erit ignotum posteritati:sed de te,cuius magnam & sempiternã fore memoriam gloriaris? Sis sane vel habearis summus Theologus: at certe ni vir bon⁹ sies, verus non eris Theologus: saltem Theologicus esse nõ dicetur eorum sermo, quorum(vt ait Psalmus)Os maledictione plenũ est. Cum istud cogito, iterum honoris tui causa,subsisto,quantumuis me impellas: & magis atque magis impediri meam responsionem sentio. Nam & difficile est, quod tamen imprimis vellem,tecum agere placide & temperanter. Quid enim? Tu cũ semper iratus accedas ad scribendum,& mirifice sis facundus ad maledicendum, incredibili fœcunditate tibi affluũt, quæ ꝓfundas,verba, ex nescio quo Cornucopiæ repetita,tam terrifica,tam cõtumeliosa, tam aculeata, quibus aduersarium per-

cellas,lancines,confodias, configas,vt etiam si truncus sit,commoueri possit,vixque possit sibi temperare. Si iure communi,in foro causam ageres,sæpe pœnam mulctámque (si soluendo esses)penderes. Saltem,si legibus vllis tenereris , illam ego tibi legem Valentiniani obiicerem, quæ vetat aduocatos in licentiam conuitiandi & maledicendi temeritatẽ prorumpere: quæ iubet eos agere quod causa desiderat: temperare se ab iniuria:& hanc addit sanctionem, *si quis adeo procax fuerit,vt non ratione, sed probris putet esse certandum,opinionis suæ imminutionẽ* patietur.l.VI.C.de postu.Sed theologum non constringunt leges ciuiles.Rursus vero tuis criminationibus respondere difficile est, quia & infinite & cõfuse plerunque declamas,cum in aliquem inueheris.Lex,quę iubet accusatores subscribere suis libellis,vult etiam vt inscribant & exprimant speciem criminis,& quo loco,quo anno,quo mẽse id cõmissum sit.Nunc cum tu huius legis posteriorem partem,non minus quam antea priorem, contemnas,an me vis in tenebris tecum digitis micare?Postremo,quantumuis multas tibi leges obiecerim, quæ iubent accusatorem,ni calũniator videri velit,liquido probare,quod intendit: ne hanç quidem conditionẽ admittis:&(quod nemo tibi concesserit) arrogantissime vis,vt tibi etiam nihil probanti,cum te non modo laudas effuse,sed & aliis importu-


ne maledicis, ſtatim fides adhibeatur. Si hoc impetrare poſſit aduerſus leges auctoritas tua, vt αὐτὸς ἔφα, de te, ſicuti de Pythagora, dicatur, viciſti. Sed apud ſanos & cordatos viros nondum id conſecutus es. Tu quidem multitudinem aliquam incantádo excæcaſti, vt nihil videat, nihil diſcernat, & verba dantem, quaſi oracula fundentem adoret. Quid enim tam valde, quàm nihil ſapere, vulgare? Sed erras, ſi perpetuum hunc errorem fore confidis. Nam & multos in Gallia etiamnum ſapere, vt hoc idolum proſtrati non colãt, ſcito. Neſcio, an quia propter malum carmen famoſúmque libellũ inteſtabilis eſſe iuſſus es, dices tibi non licere aut teſtes adhibere, aut aliis teſtimoniũ denuntiare. Sed ea res tuam tanto magis calumniam iugulat: & vero ſi infamis alium accuſare non poteſt, an poteſt inteſtabilis? An eum, cui teſtimonium dici non poteſt, teſtem in cauſa ſua idoneum eſſe aliquis dicet? Ergo iterum audebo profiteri, & te calũniari, & me tuis mendaciis non credere. Audebo & tuum rurſus mendacem atque maledicum libellum quo me poſtremo laceras, non dico dilacerare (quod tamen iubent leges de famoſis libellis) ſed aliqua reſponſione pungere. quãquam ita ſcriptus ſit, vt ſit difficilimum non agere perturbate, ſi quis ei reſpondere velit. Ergo cũ hîc iterum hærerem, ſuauiſſimum illud ſcriptum (cuius lectione ſatiari vix poſſum) rele-

gi: & ecce tandē occurrit quædam veluti methodus, qua & tibi satisfacerem, & me expedirem. Animaduerti enim duas aureoli illius & artificiosissimi tui libelli esse partes. Priori parte sese intemperanter laudat, & prædicat suas virtutes auctor ipse: altera, aliis maledicit, non minus intemperanter. Quod ad priorem attinet: per me sane licet, vt, homo scilicet ἀναμάρτητος inflatis (vt loqui solet) buccis, etiam ante mortē celebret suā veluti ἀποθέωσιν: vtque admirabilium suarum sit facundus preco virtutum. Sed cum hoc vult & facit, quærat peregrinum. Nimis enim familiariter noui hunc Thrasonem, quam vt ei Gnato esse possim. Sed si tam patientes ac stupidas aures habemus, age, audiamus quid de se miles gloriosus in fabula nūc prædicet. Ait, *Quotquot ei inimici sunt, esse professos Christi hostes: nullas vero inimicitias se vnquam suscepisse priuata causa, nec cupide appetiuisse: nullas denique ab eius culpa fuisse ortas. Hócque sibi plus satis esse, nullum ei alia de causa esse inimicum, nisi quia sacrilega audacia insurgere aduersus pietatis doctrinam & Ecclesiæ salutem ausus fuerit. Quotquot nostro tēpore Christum, eiúsq; Ecclesiam hostiliter impetere tentarunt, eorum sese furori fortiter opposuisse, atque vt acriter eos excepit, ita indefatigabili constantia persecutum esse. Suam moderationē omnibus notam esse. Neminem sua ætate excelluisse pietate & doctrina, qui non eum complexus sit summo amore, & plus detulerit, quā vel-*

let. Melanthonem sibi eum prætulisse. Nullum esse in toto orbe terrarum fidelem Christi seruũ, cui non porrexerit fraternæ societatis manum. Semper tam ex animo, quàm ex professo defugisse quicquid eum extra modestiæ fines abriperet. Se esse hominẽ ab omni ostentatione longe remotum. Suam perpetuam fidem, diligentiam, integritatem, modestiam, tolerantiam cum aßiduis pro Ecclesia laboribus, probatam esse tot insignibus documentis iam inde vsque ab eius adolescentia. Sibi esse filiorum myriades in toto orbe Christiano. Se sua tenuitate contentum, frugalitatẽ sic coluisse, vt nemini grauis fuerit. Se quietum manere in sua statione: de suo stipendio aliquid remisisse. Suas omnes curas, labores, studia ad omnes Ecclesias iuuãdas cõferre. Se docendi munere sic defungi, vt in summa fide & diligentia, nulla ambitio appareat. Nullos hactenus ꝓsperos successus eũ inflasse: multas & graues procellas, quibus iactatur, se intrepide sustinere. Se comiter viuere cum suis æqualibus. Se fideliter amicitias tueri. Hęc & id gen⁹ alia ille de se satis profectò multa in libello nõ magno. Non exclamo, quorsum hæc tam putida tendunt. Per me sane (iterum dicam) licet, vt plura etiam ebuccinet: modo tali iactantia alios non obruat, & mihi veniam det, si non possum credere vanitati. Hac cõditione permitto, vt etiã de se succinat illud,

Ad summum, sapiens vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique regum.

Altera (vt dixi) pars gloriosissimi illius libelli



vehementer mihi & aliis maledicit, cui, vt audio, respondendum est. Sed recte dixero, non esse laborandum, quia ea ipsa suggerat verba, quæ in auctorem commodissime retorquean tur, nulla vt sit opus alia respõsione. Nam terribiles illæ phrases, quas eiaculatur, eæ sunt, quibus ipse retundi potest, si qui eum suo gladio iugulare vellent: si modo velint (quod nõ puto velle viros bonos ĩgenuos, Christianos) tam non dico acerbe, sed atrociter cuiquam homini vnquam maledicere. Certe ne infantibus quidem talem currum, quo in hunc dictatorem inuehantur, conscendentibus maledicétissima oratio deesse posset, si quod ille suggerit, recitare velint, vt mutato nomine, de ipso fabula narretur. Itaque & nostram siue balbutiem, siue infantiam, quam perculit, non modo adiuuare, sed etiam armare fortasse voluit, & nobis esse veluti phonascus. Quid enim, si respõsionis loco, nunc his eius verbis vtar, & hæc tanquam emblemata quæ propinat, mutuari ab eo velim?

Vt eiusmodi homines ad rabiem incitat desperatio, præcipitem eum egit mala conscientia: vt cæco impetu in seipsum potius quam in me rueret. Commotum eius intemperie me fuisse non negabo: quãdo fieri non potest, quin hominibus cordatis & ingenuis stomachum moueat tãta indignitas: sed eius conuitia perinde ac si me non attingerent, facile despexi.

Quoniam tamen nobis quotidie rogãdus est Deus,

vt Diabolum, eiusque ministros cõpescat, nostrarum quoque partiũ est, ne eorum mendaciis obruatur veritas, effreni eorum licentiæ obsistere.

Certe præstabat eum, malæ causæ defensionẽ omittere, quàm insulsis scommatibus manifestum crimen eludere, cuius odium & detestationem ex piorũ cordibus nunquam eluet.

Bonus vir vt dedecus tegat omnium o. ulis expositum, conuitiando perturbat totam actionem.

Vt nugator iste suas phaleras alibi venditet.

Sed quorsum tam putida iactãtia: ac si vllum vnquam edidisset vel prudentiæ, vel moderationis specimen? Et tamen vt aliqua grauitatis specie superbiat, cothurnum induit, seque prædicat tanto magis esse religiosum. affirmet sanè, modo nemo credat.

Ego vero quid futiliter garriat de rebus ecclesiastis homo vt pietatis expers, ita sacrorũ omnium ignarus, nihil moror.

Ego tametsi ex multis idoneis testibus compertum habui, eum proditoriè se gessisse, multa scelesté & nequiter cum paucis sui similibus agitasse, ac intestinum fuisse Ecclesiæ hostem: continui me tamen: ac eius defectione perinde dolui, miseríque interitum defleui, ac si nunquam in caput meum cum improbis nebulonibus conspirasset, vt vix patientiam meam ferrent veteres eius amici. Hoc verò extremo actu edito, tacere mihi non permisit, & tamen impurum os perfricans, subinde rogitat, quænam me intemperantia contra ipsum adegerit.

Quis non videt hominem petulãtiæ deditum, vo-

mere potius quæ stomachum grauant quam loqui?

Respondeat nunc ipse mihi velim, quomodo tot sibi acquisierit hostes: cur se & ipsos atrocibus pugnis exercuerit: cur nusquam reliquerit verum amicum. Cui probetur nescio. Omnibus certe doctis & probis viris, quibuscum versatus est, exosum esse constat.

Fontem si quærimus, non alius reperietur, quàm eius ambitio, superbia, inuidia, perfidia, & si qua est similis virtus. Sed toto libello se prodit pudenda eius fatuitas, qua voce grauius eum vulnero, quã si omne genus scelerum in eum conferrem. Recto enim & honesto pridem vale dixit: modo acutus & vafer credatur. Serio tamen docendus est, quàm putidum se reddat insipidis suis facetiis.

Quam fuerit placidus hic noster, & erga suos collegas comis & humanus, inquirant: reperient vbique fuisse intolerabilem. Sed fruatur sane Ismaelis gloria: cuius manus est contra omnes, sicuti manus omnium contra eum.

Pudeat effrenis suæ proteruiæ: vel agnoscãt lectores qua ad conuitiandum vesania feratur.

Et quis suspicatus esset, hominem nihili tãtum sibi arrogare, nisi seipsum proderet? Eat nunc & buccas inflet inani iactantia.

Ego vero si quid in eum iuris vnquam vendicare mihi potui, libenter remitto: quia cum Satana, cui se totum addixit, mihi nihil est commune. Sed ex eius literis agnoscent lectores, si nunc immaniter contra me ferociat, ingratitudinis culpã in eo residere. Agedum vero insontem se probet: sicuti audacter facturũ mi-

natur. Ego autem simpliciter excuso, quoniam nō modo perfidiose mecum agendo, sed nunc insidiis, nunc aperto conatu in communem Ecclesiæ perniciem grassando, spem meam scelestè fefellerit, eo iustiores mihi fuisse iracundiæ causas, quam in exterum quemlibet vel ignotum. Quod si humano more de me conquestus esset, forte eadem spe, quæ me frustrata erat, iterū deceptus, optassem de vehementia aliquid remissum. nunc verò cum beluina eius rabies, perditæ & desperatæ mētis signum non sit obscurum, dicere mihi cum Propheta, vt arbitror, licebit, Quod perit, pereat. Porro quam non præcipitāter in ipsum efferbuerim, multi sunt idonei testes, quibus notæ erant præclaræ eius actiones.

Cui tamen clemēter peperci, & quem sustinui tanta patientia, adhuc de mea inhumanitate conqueritur. Quam verò indignam mercedem retulerit, partim breuiter exposui, partim dissimulo, ne priuatas iniurias persequi videar. Certe vt stilum in eum stringerem, nunquā adductus sum, donec voluntariū obtulit. Neque enim secus ac gladiatores in cædē ruunt, hic facetus scurra præceps ad conuitiandum fertur: vt non stigmate modo, sed suffixione opus sit, si de nequissimo calumniatore pœna pro merito sumatur.

Ergo nebulo nescio quis, cœno emergēs impura sua procacitate soli tenebras obducet.

Atqui longe fallitur, qui aliud assequi se confidit, quam vt intolerabilis eius superbia omnibus fœteat.

Vanitatis, futilitatis, calumniæ, maledicentiæ magnam esse turpitudinem fateor. Cur ergo his omnibus

vitiis infamiam & odium omnium sibi accersit?

Atqui nihil melius quam ve sanum hūc furorem, qui ad me non pertingit, è tuto despicere: quia vbi la tratus omnes suos consumpserit, idem manebit qui semper fuit obscœnus canis.

Eiusdem est futilitatis quæ iam in aliis spurcis con uitiis patefacta est.

Quid tibi inuideā miser? Quid tam stolida comparatione assequi te putas, nisi vt os tuum impurum omnes cōspuant? Si omnia recenseam, quæ homini vel ferreæ, vel nullius frontis, comminisci & garrire licuit, nullus erit modus.

Sit vero hoc memorabile tuæ vanitatis trophæum, qui non modo insolentius quàm antehac cristas erigere, sed linguam, vngues, & dentes acuere ita cœpisti, vt nihil vnquam extiterit vel superbius, vel truculentius. Eat nunc, & se in suo stercore volutans, fœtoris sui odore delectetur, donec ordinum omnium detestatione obrutus, quid sit pudor & misericordia discere incipiat.

Sed voluit scilicet religionis opinione sibi gratiam acquirere apud simplices, ac si crederet vllum in cælo esse numen. Hoc vero est, non assurgere supra laruas, sed laruarum omnium integumenta congerere ad fal lendum. Scilicet non satiatur crudele eius in me odiū, tot quibus me omnes Christi hostes impetunt, calumniis, nisi in arenam proiiciar à feris laniandus.

Sed quia cum Cynico scurra nullus esset litigandi modus, præstat verborum ampullis solidam rerum ipsarum veritatem opponere.

Infelici genio, vel fatali quodam morbo, semper ad nocendum satagit: sibi vni addictus, omnes à quibus nihil sperat, fastuose despicit: potentum fauorem captat sine modo blãdis assẽtationibus: bonis, quibus inuidet, plus quam ferociter insultat: quocunque venit, fax est prorsus furialis ad excitandas discordias: denique vt neminem vnquam sincere dilexit, ita neminẽ ex probis & integris Dei cultoribus habet amicum. Si asperior visus fuero, auctore Paulo, culpam in eum ipsum reiiciam, qui me coegit.

Hæc sunt, quæ nunc nobis dictasse videris, ne infantia alioqui nostra, cum tibi iracunde & eleganter respondendũ est, balbutiens hæreret. Ac ne ingratos esse nos putes, iterum prædicamus, ô magne magister maledicendi, hæc esse tua dictata, tuas formulas, tuas phrases: quibus quidẽ vti possimus, si te tuis retortis fulminibus percellere atque obruere velimus. Nam eodem, quo tu, iure in alios, qui sal tem te deteriores non sunt, talia contorques, retorqueri in te possunt. Ergo vt breue faciã, fingito illa omnia de te & aduersum te dici, si eo genere orationis delectaris. Certè agnoscis aliquã horribilis tui libelli veluti *αἰάλων*, cuius fragmenta per quandam (vtar nostrorũ Iurisconsultorum verbo) *αἰπαιάκλαον* te referire possent. Et licet alios eius generis tuos cõmentarios vberiores, tali copia talium verborum refertos non reuoluamus: en in vna minime etiam longa declamatione, quantam sil-

uam inclusisti talium spiculorum: quæ tamen diligentius tibi asseruare debebas, ne in alium emissa, in te reciderent. Fortasse quia in priori responsione dixerã, exhausisse te tuam conuitiorum pharetram, ostendere nunc voluisti eam esse inexhaustam. Sed nescio an tibi expediat tam valde effundere tales tuos thesauros. Nam si te nosti satis, sentis te aduersario suppeditare liberaliter, quod tibi sine vllo suo labore respondeat, si tuo more confuse tonare velit. Absit, vt tam aut impotẽter agamus, aut furiose declamitemus. Absit, vt quod Theologo indignissimum est, Iurisconsultus imitetur tale genus non loquendi, sed conuitiandi atque debacchãdi. Sed fieri non potest, quin & tua nobis cõsuetudo affricet aliquid sui morbi & contagionis: & ego cõtendendo tecum, vel inuitus discam quippiam tuæ acerbitatis. Scio, respues exemplum Christianæ moderationis, quod nunc tibi proponam. Non enim natura tua capit, quod tua esset fortasse persona dignum. Sed tamen proponam, vt si tu moneri nolis, meipsum admoneam. Augustinus lib. III. cõtra literas Petiliani, Ego (inquit) *quando cuiquam vel dicendo vel scribendo respondeo, etiã contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi dominus donat, frenatus atque coercitus vanæ indignationis aculeis, auditori, lectoriue consulens, non ago, vt efficiar, homini conuitiando, superior, sed errorem conuincendo superior.* Ecquid ô bone, talis

actio tibi placet? Equidem mirarer, te, qui non modo Theologus ab Augustino non abhorrens, sed & Theologorum, & quidem (vt loqueris) reformatorum atque regeneratorum Princeps vis videri, tam valde ab hac sententia abhorrere, quæ tamen non solū cum principiis religionis, sed & cum primis præceptionibus humanitatis cōsentit. Verum, vt mirari desinam, professus es, naturam tuam esse indomitam belluam. Certe vt Plutarchus elegāter disputat, Quomodo quis sentiat sese in studio Philosophiæ (vt loquitur) προκοπῆν: multi nunc attoniti obseruant, in te nondum illud, quod primum esse deberet, extare argumentum, ex quo liqueat tuum animum ad meliorem mentem reuocatū, in philosophia Christiana, multa mouendo, aliquid promouere. Sed difficillimum est, vt ais, naturam vincere. Tu libris tuis præfigis illud Augustini, *Ego ex eorum numero esse me profiteor, qui scribendo proficiunt, & scribunt proficiendo.* Non disputo, quis sit ille tuus profectus, quænam προκοπή. Sed negare non potes, eum, qui in facultate scribēdi atrociter, & vehemēter maledicendi proficit, religiosiorem propterea non effici. Videris, an (quod imprimis erat necesse) fias melior scribendo: quæque aliis alias scribis de officio viri boni & Christiani, ipse ad te pertinere serio, sæpeque cogites. Sed aliud facias, aliterque, & loquaris & scribas, oportet, si nobis velis

perſuadere, te cum Auguſtino non modo in ſcientia valde proficere, ſed etiam in cōſcientia bona: ſine qua ecquid tua vel ſcientia, vel ſcriptura, vel loquacitas erit aliud, quā (quod Apoſtolus ait de fide ſine charitate) cymbalū tinniens? Eſt enim tuæ profeſſionis alia conditio, quàm alterius artis aut diſciplinæ. Sed & licet tuæ apud Deum conſcientiæ rationem non haberes (quod tamen de homine tui ordinis ſuſpicari nollem) at certè gloriæ apud homines tuæ & exiſtimationi, quam ambis, caues parum, cum furioſi conuitiatoris famam affectare ſcribēdo videris: vixque eſt inter amicos tuos, ſi qui ſunt ſaniores, quiſquā, qui non vehementer doleat ſimul & miretur, te neque ętate, neque doctrina, neque vſu, neque admonitione vlla ad aliquam ſcribendi temperantiam poſſe reuocari.

Scio, iampridem tibi moleſtam eſſe, hanc (vt appellabis) battologiam ocioſæ commonefactionis: & imperioſe (credo) iubebis me, Attica lege, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν ſtatim reſpōdere obiectis criminibus. Ego verò nihil velim magis: ſed iterum dico, vix ſcire me, vnde ordiar, vbi deſinam. Adeo artificioſe, quæ cōfertim congeſſiſti, maledicta permiſces.

Principio vt ſolēt molles & ſuaues eſſe tui prologi, exclamas me eſſe falſarium. Cur ita? Quia, inquis, (hîc enim notas diligenter crimen) *viceſima quinta die Iulij anno quinquageſi-*

mo septimo, priuilegium à Rege impetraui, quod datum sit meo de Famosis libellis & calumniatoribus commentario, qui tamen non nisi anno superiore sit editus. Quid istud rei, quid monstri est doctissime vir? Equidem vix tandem suspicari potui quid velis. Eo enim & anno & die in Germania eram, nihil de Gallia, nihil de Rege, nihil de priuilegio vllo, nihil de famosis libellis quicquam cogitans. Sed quid te fefellerit, vt alium clamitares esse falsarium, nunc demum intelligo. Vechelus typographus Parisiensis eo tempore generale (vt vocant) priuilegium Regium sibi impetrauit, quo, quoscunque deinde libros excuderet, ornaret. Eo (vt fit) forte vsus est, cum commentarium meum ederet. Tu, qui ne illud quidem vides diploma, non mihi, sed Vechelo datum esse, propterea tamē triumphans iterum erumpis in hanc exclamationem, *Etsi apices iuris omittam, falsum hîc deprehendi sensus dictat.* Quis hunc Dictatorem non modo sensu communi carere, sed & præcipitem ruere in sensum reprobum non dixerit? Atqui me vrges, & iubes, vt hic tibi de iure respondeam Iurisconsultus. Non est vir consultissime, quod me nunc cōsulas de apicibus Iuris, qui tuum fugiant acumen. Si tibi de calumniatoribus leges nō satisfaciunt: quid merearis, liquido tibi dicet vna lex Cornelia de Falsis. Vis addam præterea leges de Stellionatu? Quia vetus vulpes pellem non mutat, &

tu propterea, quos vocas versipelles, refugis, nescio an Stellio tibi satisfaciet. Sed simplicē & candidam ingenuitatem vafri hominis videamus. Cum ab eo expressit, tanquā in eculeo, vis veri, non meum, sed Cassandri, (hunc enim iam, cui nocere putat, periculose nominat) librum illum esse, propter quem tamen me proscidit: neque iam negare posit se & falsi & calumniæ conuictum esse, mihíque factam esse atrocem iniuriam: tamen priusquam nunc faciat, quod officium viri boni flagitaret, (eius præsertim, qui alios nouam mortificationem, & regenerationem, & pœnitentiam docere se gloriatur) iterum os impurum (vt eius verbis vtar) perfricans cauillatur, me illius libri, si non auctorem, scriptorémve, at politorem, proxenetam, obstetricem, lenonē, productorem esse. Mira est huius Dictatoris dicacitas. Sed admirabilior, impudentia dicam, an contumacia? Certe proteruia est plus quam (verbo vtar, quo delectatur) meretricia. Scriptus, (vt sæpe iam dixi, & nemo nescit) editus, distractus est liber ille, cum de eo nihil quicquam vel audiissem, vel resciuissem, & sexcentis prope milibus passuum abessem: & tamen (quæ tua est perspicacitas) ais in eo agnoscere te notas stili mei, & sciens prudens in manifesto mendacio perstas, vt iterū mentiaris, ex mea illum manu prodiisse. Quid miser te torques? Quod prius sumpseras, abs me
librum

librum scriptum esse, tam facilè probabis, quã eum esse abs me politum aut vulgatum? Sed tenes vetus illud, *Cum quis impudens esse cœpit, gnauiter impudens esse debet.* Si (inquit) *in ius te accerserem, tribus verbis finita esset causa.* Vtinã ego te in aliquod Ius vocare, ducere, trahere possem: vix tres lictores sufficerent ad tuam iterũ calumniam castigandam, & disceres aliquando finem facere mentiendi. Delige quam voles pœnam, vel legis Remmiæ, vel Talionis, vel Intestabilis infamię, vel Cauterii, quo frõs tua inuratur, vel Myricæ arborísque infelicis. Quid tergiuersaris? Iterũ intonat lex, *Si caluitur, manum endo iacito.* Verte te in omnia. Nunquam hodie effugies. Absiste moueri. Mane. Sed confugis ad typographum: Is (inquit) *non negauit.* Accipio conditionem. Is est, opinor, Oporinus vir optimus. Iterum periisti, si eius testimonio statur. Non proferam quas ad me literas scripsit de iniuria abs te mihi facta. Tu, qui vicinior es, hominẽ interroga. Exclamabit, vereor, te omnium hominum impudentissimum, atque perditissimũ esse calumniatorem: & quia eum testẽ laudas, falsi te reum ipse peraget. *Quam miserum est* (dicebat quidã olim) *negare non posse, quod est turpissimum confiteri.* Sed minus tibi turpe esset, confitendo veniam deprecari, quàm inficiando crimen duplicare. An sæpius mentiendo effugere te posse putares, si aut nunc carcer, quo dignus es,

te constringeret, aut lictor teneret? Sed tu in isto tuo Olympo securus, suauiter ridere potes omnes & iudices & lictores: vt & iampridem propterea impune soles, cuicunque vis, iniuriam facere: & talibus te ludis oblectas. Memini, cum scriberes in Tridentinum concilium, & pro tua ciuilitate atque erga tuam gentem beneuolentia, potissimum Gallis Episcopis, qui intererant, contumeliose, hoc est, more tuo, malediceres, te, ignominiæ & conuitii causa nominasse Nenetensem. Atqui is non erat Tridēti, neque eò venit vnquam. Id cùm & intelligeres & omnes intelligere scires, quid facis? ô ingenui hominis pudorem. Illam virulentę maledicētiæ farraginem, quā vocabas Antidotū, Gallicè rursus edidisti, & pro Nenetensi Rhedonensem, alterum Britanniæ Celticæ antistitem, supposuisti, vt hic in Gallia audiret, quod ille in Latio, & vterq; infamaretur. Sic enim verecunde scilicet errorem tuum castigasti, & commutatione quadam maledictum conduplicasti. Hæc enim pœnitentia est, quā tu erroris scelerísque conuictus egisti. An hęc ars & consuetudo tua est siue multiplicandæ contumeliæ, siue iniuriæ duplicandæ, si quis fortasse monitor te ad ius aliquod reuocet? Minime ergo mirarer, si eodem mihi modo nunc satisfaceres. sed nescio quo modo acerbior erga me & peruicacior & iniquior maleuolentiæ tuę rigor est. Nā quem

In me vexando errorem commisisse te in prio ri tuo aduersus me libello famoso, negare non potes, neque cum hũc Gallice recuderes, correxisti reo commutato, neque iam cõmutas, sed iterum iterúmque ingeminans ita pergis agísque, vt quiduis dicere paratus sis potius, quam vis veri te adigat ad aliquam vel tacitá, siue erroris manifesti confessionem, siue conuictæ culpæ deprecationẽ. An hominum (intelligis Apostoli verbum) ἀπηλγηκότων tam præfracta esse potest confidentia? Si dicas tam de Rep. Christiana præclare meritum esse te, vt tibi priuatim licere debeat quidlibet: aut me tam esse hominem (vt vocas) nihili, impune vt possis in eo cædendo te oblectare:

Nos animæ viles, inhumata infletáque turba,

Sternemur campis. sed tantũ scito mihi etiam iacenti superesse generosæ ingenuitatis, vt et si linguam reuellas, meo tamen spiritu, si voce nõ possim, iniurias tuas refellam atque repellam. Age vbi negare non potes, te offendisse, quo pergis? Quo magis teneri te sentis, vt irritæ feræ solent, tanto minus quiescere potes, neque tamen cum te vertis in omnem partem, aliud fremens facis, quam vt te inuoluas magis atque magis. Clamitas me Rhemis, vbi nullum vnquam vidi Cardinalem, vendidisse atque obtulisse nescio cui Cardinali, mirificũ illum librum, quo tamẽ tempore liber neque natus, neque (vt opinor) conceptus erat, & de

quo nihil hactenus quicquam audiuit Cardinalis ille. Mira est, mi Ioánes, tua vertigo, mira hæc melancholia: quæ efficit, vt videre te putes quod nusquam est, ac ne quidem vigilás & monitus possis tam inanes (quid aliud dicam?) phantasias discutere. An quia de nouo Pontificatu maximo sæpe cogitas, non potes obliuisci Cardinalium? Addis etiam nescio quid de quodam Lotharingiæ Cancellario, qui tamē nullus est, neque vllus vnquam fuit. Næ tu iterum valde miser es, qui nōdum sentis, te ab tuis delatoribus, qui talia tibi persuadent, irrideri, & per ludibrium veluti in scenam produci, in qua cantillent,

-Eumenidum videt agmina Pentheus,

Et solē geminū & duplices se ostendere Thebas.

Interea nescio bearéne me velis, an illudere, cum iterum mihi narras nescio quid de sportulis illius noui, sed mihi ignoti, patroni. Equidem (iocando loquar serio) ne me ingratum esse putes, magnam tibi gratiam habebo, si id mihi persolui cures, quod despōsum mihi esse confirmas: atque etiam, si vis, & per Leges liceat, partem tecum decidam: vel potius totū nomen illud, si quod esse putas, dono & cedo: quanquam, vt mihi caueam, non affirmo esse aliquod. Mihi profecto valde nouum & insolens erit, quod prædicas, beneficium, qui hactenus nullum ne teruncium quidem ab vllo vel Episcopo vel Cardinali aut accepi aut ex-

ille me, cum istuc irem, transfugam vocabat, an propterea tu, quia huc sum reuersus, apostatam esse probas? Quis non obstupescat te tantum dialecticum hæc tam male coherētia portenta connectere? Ita est sane. Cum tu me inuoluere frustra conaris, mirabiliter te implicas. Ego vt me liberē, & tibi satisfaciam, & cū tu extra rem multa misceas, ego ad rem dicam aliquid, non modo περὶ ἀποστασίας, sed & περὶ ἀποστασίου breuiter respōdebo. Dici de vtraque eius generis veluti thesi copiose posset: sed ocium mihi nullum concedūt tui tumultus Galliæ perturbatæ, ac ne quidem bibliothecam ex Germania meā huc referri hactenus passi sunt, & aduersariis propterea tuis armis potius quā libris nunc meis septus, tumultuarie dictare cogor, quod respondendum tibi est: vt si iam breuior in vberi argumento sim, tu talibus impedimentis veniam des. Scis in Euangelicis literis ἀποστάσιον appellari, libellum (vt vocant) repudii. Ego si te res tuas tibi habere atque agere iubeam, vel conditione tua me non vti antiqua formula dicam, Diuortium iustum esse contendo. Id vt liqueat, nunc de moribus iudicium vetus instituendū esset. In eo si me cogas caussam dicere, liquidò probabo te caussam diuortio dedisse. Sed honoris tui caussa peto, vt hic imitari possim pudorem Pauli Æmilij, & eius verecundo responso sim cōtentus. Certe nul

loquium de religionis quæstionibus controuersis fuit, quod, Deo teste, dico & affirmo religiosius fuisse, quàm vllum fuerit vnquam, quod tecum aliquãdo habuerim. Vtinã nunc singula capita, quæ eodem die, ne exciderent, literis cõsignaui, & compluribus viris piis recitaui, pluribus verbis exponere, & huic libello ad sempiternam posteritatis memoriam includere possem. Sed res longior est, & alio exponi loco poterit. Illud modo dicam, colloquiũ non dissimile illi fuisse, quod audio eundem in Germania nuper habuisse cum Brẽtio & eius Principe illustriss. Cur te tam valde vrunt talia colloquia, in quibus de religiosis rationibus Ecclesiæ restituendæ & concordię cõstituẽdæ quæritur? Cur de te actum esse putas, statim atq; audis agi de pace & (vt vocãt) vnitate? Ergo quod nunc narrabo, fortasse te impulit, vt in me insurgeres. Quidnã? Remisit eodem me anno Rex idem in Germaniam cum optimis mandatis, iussítque vt cùm ab aliis, tum vero abs Cassandro, ad quem propterea scribebat, elicerem, si quid haberẽt boni consilij ad dirimendas dissensiones, quibus Ecclesia misere distrahitur. Cum essem Coloniæ, audio quendam (de quo nihil antea quicquam audieram) libellum Basileę excusum de Officio pij & publicæ trãquillitatis vere amãtis viri in hoc religionis dissidio, iam circumferri in Gallia, quem auctor mihi narrabat se

Duyſburgi delineaſſe. Audiebam etiam te, quod mirabar, illi conſilio vehemēter iratum dira minitari. Sed non credebam te tam mihi & illi eſſe infeſtum ſine vlla cauſa. Saltem nihil quicquam eam rem totam ad me pertinere cōſtabat. Redeo itaque ſecurus in Galliam, & ad eum Regem, qui me amandarat, refero reſponſa manuſcripta iis de rebus, de quibus quærebatur. Vtinam ea nunc mihi edere liceret, quæ fortaſſe edentur aliquādo. Certe tuæ intemperantiæ, quæ ne rumorem quidem bonorum conſiliorum ferre poteſt, furor magis pateret. Interea quid tu temulentis tuis ſuſpicionibus & melancholicis phantaſmatibus procul in tuo ſpecu indulgēs, in me nihil meritū tale, nihil tale expectantē, repēte euomueris, in quē quaſi hippomanes hauſiſſes, tumultuando incurriſti: teſtes facio famoſos tuos libellos, teſtes facio ſapientes, qui re & cauſa cognita, mirati ſunt, quæ te rabies ageret: teſtes facio Deum & Angelos, qui vltores erunt & vindices iſtius tuæ immanitatis. Relegatur Caſſandri libellus, qui hic eſt recuſus ab auctore auctus, interea dum ille tuis calumniis reſpondebit. Relegatur quid in me propterea eructaueris: & iudicium eſto penes viros bonos & integros. Iterū vero Iudices obteſtor, mihi vt veniam dent, ſi cum non deſinas contumelioſe agere, ego de iniuria cōqueri nondum deſino, perfringas licet omnium legum

vincula: ignoſcat etiam mihi Deus, qui tanquam obtorto collo inuitum me trahi adigi. que videt ad hanc neceſſariæ defenſionis triſtiſſimam contentionem. Age, ad rem aliquid dicere videris, cũ, quas de calumnia leges tibi obieci, eas nunc in me retorques, quia dixi Bucerum te aliquando obiurgaſſe, *quod iudicares prout amares, amares autem prout libet.* Hîc enim demũ confidenter exclamas, te Deum & Angelos eius teſtari, id abs me improbiſſime eſſe cõfictum: & hanc diram imprecationem addis, *Ita vero mihi propitius ſit Deus, ſi quid vnquã tale audierim.* Bona verba mi Ioannes. Obliuioni potius tuæ Deus ignoſcat. Quid enim alioqui te miſerius eſt? Nihil me confinxiſſe, ipſa, ipſa manus tua, quæ hic extat, & à ſexcentis agnita eſt, teſtis eſt: tua (inquam) epiſtola, manu tua ad Bucerum ſcripta, quam ne ipſe quidem, ſi videas, negabis. Non patiar, vt quod tu illiberaliter facis, priuata epiſtola, ſine con ſenſu ſcriptoris, in publicum edatur. Tibi potius eam reddi, ſi vis, curabo, quæ neſcio quomodo ex Argẽtina huc perlata eſt. Sed vt ſexcenti, quibus manum tuam oſtendi, de ea teſtimonium dicendo teſtes erunt meæ bonæ fidei, & tuæ, vt video, obliuionis: ſic etiã vt epiſtolæ tuæ tibi interea magis atque magis memoriam renouem, dico eam eſſe, cuius ad Bucerum tale eſt principium:

Cum literæ tuæ mihi ſub cœnam oblatæ eſſent, tan

to gaudio perfusus fui, vt non meminerim tribus totis mensibus lætiorem mihi horam affulsisse. At cum eas super cœnam vtcunque percurrissem, lectione ipsa sic fui flagellatus, vt proxima nocte irrequietus continenter estuarim, nec toto post triduo plane fuerim apud meipsum, &c. Si, vt certior sis, eius etiam epistolæ finem recitari tibi velis, postremum caput est: *Frustra mihi excusas nouo papismo erigendo te non studere: Sed vellem aliis omnibus sic exploratam esse puritatem tuam, vt ne suspicioni quidem locum relinqueres. Frustra etiam id, te dare operam, ne quid Caluinismi admisceatur. Si à scriptura semel deflectendum sit, non ignoro quàm sit tolerabilior Bucerismus, quam Caluinismus, &c.*

In illius (inquam) Epistolæ tuæ, quæ prolixa est, medio leguntur hæc abs te scripta: *Iudicare me scribis, prout amo: amare, prout libet. Ergo ne sic me desipere censes, vt nullum habeam in amando delectum vel ordinem, &c.*

Nunc vide mi Ioannes, an hîc ego confinxerim quicquam. Simul vide quęnam deieratio, detestatio, deuotio tua sit, cum, si verũ sit, quod nunc vides esse verissimum, deum, vt tibi male sit propitius, inuocas & veluti adiuras. Ecquo ruis ô miser, cum ad talem imprecationem te adigit cæca impotentia tuæ iracundiæ? Profectò male tecũ ageretur, si summo iure tecum ageretur. Ergo disce deinceps cauere tibi magis, cum aliquid negabis. Disce loqui minus confidenter, & religiose magis,

Ego nunc hoc vno contẽtus ero loco & exemplo,vt fidem meam liberem, & de tuis recriminationibus iudiciũ bonis omnibus & cordatis permittam. certe si quod vnquam exẽplum Deus edidit tuæ vanitatis,cuius memoria te configeret, est istud quod dico:& tamẽ in eo exagitando,quod possem,non immorabor. Cæterum nimis immane est, quod Satanam ore furiali vocas eum, qui τὴν διαβολὴν accusat. An quia Satan Hebræis dicitur,qui à Latinis aduersarius:audes exclamare (quæ pugnantia sunt) aduersarium τῆς διαβολῆς esse Satanam? Deus bone,an hęc lingua & oratio est Theologica? An non potius ἐνεργούμενον esse te, aliquis putaret? aduocarẽ itaq; exorcistas. Sed fortasse clamabis cũ Vlpiano nostro,eos ĩpostores esse: vt eos non dubitasti scribere, fuisse ignotos Ecclesiæ veteri: quia magnificentia tua non dignatur meminisse, non eorum minus quam Diaconorum, in omnibus scriptoribus veteris Ecclesiæ fieri mentionem. Si hi, quos diræ imprecationis ergo,vocas Satanas, honoris causa te resalutent Luciferum,credo minus irasceris. Nam & gloriaris te omnibus facẽ præferre,& sæpe in ore habes,illud quod Hieronymus scribit fuisse proprium Luciferianis, *De Ecclesia factum esse lupanar.* Sed vt tuã lucem boni sequantur,operam dato,ne miseram Ecclesiam iterum polluas. Nam si (quod nunc Gallia veretur) non aliam reformationẽ

instituas, quàm auorum nostrorum memoria Zisca Bohemus, omnes boni te fugient. Sed terribile est, quod, vt occurras, toties ingeminas, nos esse Apostatas. Cur ita? Quia conquereris me abs te nunc desciuisse, cum tamen olim te valde coluerim. Probare prius debebas, quod vehementer omnes pii & sani pernegant, eum qui à te vel tua factione deficit, deficere abs Christo & eius religione. Nunc, quasi ea de re aut non quæreretur, aut nemo dubitaret, tu tam ineptus & impudens es, vt satis esse putes, si ostendas me abs te alienatum esse, & tibi tamen aliquando addictũ deditúmque fuisse. Id autem vt prolixè probes, (quod non erat necesse: id enim & sæpe confiteor & palam prædico) profers (quæ tua est proditoria fides & illiberalis educatio) edísque in publicum, multas, quas ab annis XVII. literas familiares ad te aliquando fortasse scripsi adolescens, cum te nõdum nossem. Hîc ego tibi responderẽ, quod in simili causa Hieronymus respõdit Rufino. Sed vt ciuilius agam aduersus hominem inciuilem, contentus ero responsione Ciceronis ad M. Antonium, hominem (si dicere fas est) tibi in hoc genere nõ dissimilem: *At etiam* (inquit) *literas, quas me sibi misisse diceret, recitauit homo & humanitatis expers & vitæ communis ignarus. Quis enim vnquam, qui paulum modo bonorum consuetudinem nosset, literas ad se ab amico missas, offensione ali-*

qua interposita, in medium protulit, palámque recitauit? Quid hoc est aliud, quàm tollere è vita vitæ societatem? tollere amicorũ colloquia absentiũ? Quàm multa solent esse in Epistolis, quæ prolata si sint, inepta esse videantur? quàm multa seria, neque tamen vllo modo diuulganda, Sit hoc inhumanitatis tuæ, &c. Hæc ille. Audis humanissime Ioannes elogium tuæ editionis, neque qua religione talem támque Antonianam barbariem tuam ornabis, video. Quid si exemplum nũc tuum secutus, vicissim ederẽ quas olim ad me scripsisti literas familiares? quibus quidem certè me adolescentem propè incantasti & blandiendo in fraudem pellexisti. Sed absit, vt maliciosam tuam futilitatem imitari videar. Interea tamen alios monebo, quicunque ad te scripturi sunt, sibi vt caueant: & meo periculo sapiant, discántque ad quem quámque fidelem virum scribant, cum ad te scribunt. Vetus est illud, *Fingere qui non visa potest: commissa tacere Qui nequit: hîc niger est: hũc tu Romane caueto.* Vetus illud est symbolũ Pythagoricũ μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων: Vetus & sapiens admonitio Plutarchi interpretantis μὴ συνδιατρίβειν μέλασιν ἀνθρώποις διὰ κακοήθειαν. Vt autẽ nostri insidiatoris, qui iampridẽ coquebat, quod nunc vomuit, & iam tum, cum ad me scribebat, meditabatur quod iam facit, malitia notior sit: quicũque eas literas leget, testes animi mei optimorúmq; affectuũ, & cum tua, quam ad-

iunxisti,responsione comparabit: næ ille barbaram tuam inhumanitatē detestabitur: nullum vt potueris maius proferre testimonium tuæ perfidiosæ (si aperte dicendum est) improbitatis. Qua quidem speras crudelis, fore vt hîc odio tui oppressus pessunder. Sed Deus, vt spero, tua sæua atque insidiosa consilia disturbabit, & quod in me contorques, in caput tuum recidet, augebítque infamiam tuam. Age verò ecquid conficere vis cum illis epistolis? Probabis, me adolescentem, rerum imperitū temere putasse, religionis, cuius studio, quo etiamnum teneor, flagrabā, te docto rem magnum esse: putasse, te virum bonū esse & religiosum: te Ecclesiæ reformandæ curam seriò suscepisse. Denique probabis me hac opinione factum fuisse propè Caluinolatram, vel in te colendo idololatram. Erraui, fateor: sed illius meæ cæcitatis atque stultitiæ vel amentiæ (quam tamen mens bona & religiosa incitauit) satis magnas do dedíque pœnas. Quid de iactura & dāno rei familiaris, vel xx. annorum ærumnis conquerar? Interea dum adolescens amens meíque oblitus, & malo, credo, carmine incantatus, tibi seruio & obsequor, perdidi, perdidi optimos adolescentiæ florentis annos: meliores (inquam) illos annos infelix perdidi. Nunc vt mercedē aliquam rependas. ô crudelis, amanti & propter te propè misero & iacenti etiam insultas. Tu meretricios

& turpes & obſcœnos amores quorundam, qui tibi nunc intimi collegæ ſunt, ſuauiter tegis: & ferre non potes, me deperiiſſe pueriliter tuam, cuius tunc vlcera ignorabam, conſuetudinẽ? quæ tamẽ quãti mihi conſtet, non ignoras. Certè cũ propterea me laceras, quid aliud quàm truculentiam tuam prodis magis atque magis? Ergo quicunque vſquam eſtis amantes religionis Chriſtianæ, cauete ne imprudentes huic laruato antiſtiti multùm tribuatis: cauete, exemplo meo, ne eum colatis, laudetis, admiremini nimiũ: ne ſi forte poſtea (vt lex ait) emergat celata motum improbitas, vobis integrum non ſit, eam non colere. Ille per me vobis denunciat, ſe irriſurum veſtram ſimplicitatem, vel, vt vocat, fatuitatem. Scilicet per ſuam modeſtiam diutius pati nõ poteſt diuinos ſibi honores deferri: neq; plus ſibi tribui vult quàm mereatur.

Age vir modeſtiſſime, cum omnibus probaueris me cęca tui admiratione & errore cęco magnam bonámque de te olim opinionẽ concepiſſe: quid aliud quàm fraudem allegabis tuam, & probabis tecta ſimulatione atque hypocriſi tua deceptam fuiſſe meam credulitatem: vidiſſe me vero poſtea illud, quod clam alebatur, monſtrũ, idq; tam deforme, vt eius conſpectus coëgerit me idolum repudiare, quod imprudens alioqui prope adorabam? Oportet profecto vehemẽtem fuiſſe cauſam,

quæ me abs talibus támq; immoderatis amoribus reuocare potuerit. Et tamen is pudor fuit meus, vt nisi tu de hac abalienatione prior verba palã fecisses, de ea vix alii audiissent quicquam. Sed neque intemperies tua faciet, vt si in amando non tenui modum, non teneam in diuertẽdo. Denique nunquam probabis me aliquid interea fecisse contra veterẽ amicitiam, quatenus salua religione possem. Non potui, fateor, semper tam valde, quàm feceram antea, te obseruare, vbi te aliũ, quàm putabã, esse vidi: neque religiosum esse sensi, quod velle videris, vt te Gallia colat, sicuti Græcia olim coluit T. Flaminium, victimis & sacrificiis. Sed quod ab homine ingenuo & Christiano desiderari officium posset, in eo me constantem & esse & fuisse, dico, & donec aliud probaueris, constanter affirmabo. Neque verò dissimulo, errasse te vehementer, si putasti, cum me in tuos olim numeros referres, etiam me iurasse, tua signa, quocunque rueres, secuturum esse. Memini quendã olim Blosium Cumanum, qui Tib. Gracchi partes secutus erat, à Lælio interrogatum, *Quid si te Gracchus templo Iouis opt. max. faces subdere iussisset? respõdisse, id quoque se fuisse facturum, si iussisset.* Etsi multos habere te iactes, tã valde tibi addictos, tamen ne fallaris, iubeo vt me eorum numero eximas. Nunquam enim putaui religionem esse latrocinium & imposturam.

tarũm, Apoſtolorum. Sed vt te eius agminis ſigniferum eſſe probes, oportet, alia ſigna quã quę nunc præfers, attollas. Interea liceat mihi bona tua gratia miſſionem impetrare, & veniam, ſi Chriſti ſigna ſequar, & à tuis paululũ diuertam. Equidem miror, cùm tam liberalis atque facilis ſis in diſſoluendis non modo votis, ſed & coniugiis, & quidem in diuortiis faciendis tantum tibi tribuas, vt domi tuæ, fratrem priori vxore repudiata etiamnũ ſuperſtite, alterius maritum eſſe iubeas: te nũc tam ſeuerum eſſe in aſtringenda obligatione, vel monaſterij tui, vel tuorum numerorum atque caſtrorum. Ergo deinceps ſibi caueant, qui ſapiunt, ne temere tibi dent nomen: ne nunquã ſit iis integrum diſcedere abs ſocietate, quam poſtea fortaſſe ſentient nõ eſſe, quod diceba-tur. Ego quidem certe tui ſacramenti militaris conditionem, quam nunc dicis, non accipio: &, ſi excipias, nulla mihi exceptione olim cautum fuiſſe, de dolo tuo replicabo: ſaltem minoris ætatis defenſione vtar, reſtitutionémque in integrum ab æquo Prætore impetrabo. Vis exẽplis bonis præterea vtar? Cùm olim Auguſtinus adoleſcens in Manichæos, & Epiphanius in Gnoſticos incidiſſet, & iis imprudens vterque nomen dediſſet: deinde verò, cum ſentiens quò eorum ſecta tenderet, pedem referret, clamitabant illi quoque eſſe λιποταξίαν. Fortaſſe contumelioſus eſſem, ſi te

cum iis conferrem: tantum abest, vt id velim: sed dico tam mihi licere abs tua noua factione, vbi abs religione deflectit, deficere, quàm Augustino & Epiphanio fuit necesse, vt ad Christi Ecclesiam redirent, deserere Gnosticorum & Manichęorum coniurationē. Quid præterea tibi multos laudem, quos Augustinus laudat, quia Donatistarum & Circūcellionum coniurationem, cui impudentes subscripserant, deseruerint? Vis vno verbo dicā? Cum te tuumve librarium audio περὶ ἀποστασίας ius dicentem, videor mihi audire Donatistas in sua Bagaiensi Synodo pronunciātes de Maximiano & eius optimis collegis. Et vt breue faciam, sententiam tibi vnam opponam, quā hodie legi, tu nondum audiisti: Cum his diebus historiam Donatistarum colligerem, & eo nomine Optati libros contra Parmenianum Donatistam non solum excusos, sed & manuscriptos euoluerem, incidi in eū locum, quo refellit Donatistas, qui aliis obiicientes, quod committebant, Iamnem & Mambrem cum pacificis (vt ait) catholicis comparabāt. In eo libro inquit Optatus: *Nullus eorum debet argui, qui de collegio vestro ad pacē transitum fecit. Qui fuerant sinistra opinione turbati, simplici ac pura veritate firmati sunt, &c.* Nondum (video) desinis calūniari. Ne fortè videaris aut nugari, aut nihil agere, nihil nō moues & fingis. Etiā Duareni testimonio vteris. Quid ineptius? Si

ille me, cum iſtuc irem, transfugam vocabat, an propterea tu, quia huc ſum reuerſus, apoſtatam eſſe probas? Quis non obſtupeſcat te tantum dialecticum hæc tam male coherẽtia portenta connectere? Ita eſt ſane. Cum tu me inuoluere fruſtra conaris, mirabiliter te implicas. Ego vt me liberẽ, & tibi ſatisfaciam, & cũ tu extra rem multa miſceas, ego ad rem dicam aliquid, non modo περὶ ἀποστασίας, ſed & περὶ ἀποστασίου breuiter reſpõdebo. Dici de vtraque eius generis veluti theſi copioſe poſſet: ſed ocium mihi nullum concedũt tui tumultus Galliæ perturbatæ, ac ne quidem bibliothecam ex Germania meã huc referri hactenus paſſi ſunt, & aduerſariis propterea tuis armis potius quã libris nunc meis ſeptus, tumultuarie dictare cogor, quod reſpondendum tibi eſt: vt ſi iam breuior in vberi argumento ſim, tu talibus impedimentis veniam des. Scis in Euangelicis literis ἀποστάσιον appellari, libellum (vt vocant) repudii. Ego ſi te res tuas tibi habere atque agere iubeam, vel conditione tua me non vti antiqua formula dicam, Diuortium iuſtum eſſe contendo. Id vt liqueat, nunc de moribus iudicium vetus inſtituendũ eſſet. In eo ſi me cogas cauſam dicere, liquidò probabo te cauſam diuortio dediſſe. Sed honoris tui cauſa peto, vt hic imitari poſſim pudorem Pauli Æmilij, & eius verecundo reſponſo ſim cõtentus. Certe nul

te cogimur perditissimo calũniatori reclama-
re;ac nisi si dolorẽ iustissimũ reprimerẽ,audi-
res ô noster προφήτης, quod mereris. Iampridẽ
tu quidẽ impune ita ludis, vt quod in te dirigi
tur,in Christum detorqueas:& ita agas quasi
Ecclesia Christi & factio tua,religióque Chri
stiana,& persona tua,eadem res esset.Et verò
aliquam multitudinẽ effascinasti, vt non dis-
cernat quantum intersit. Sed an omnes Gal-
los tam fungos esse putas, vt neminẽ sentire
& videre putes, te improbe miscere,quæ val-
de diuersa sunt, & inter quæ magnum est in-
teruallum καὶ ἀπόστασις siue διάστασις.Scio magnę
artis olim fuisse hãc actionem tuam: sed iam
nimis vulgare & notum est hoc artificium, &
est tam attrita,quam toties obtendis,larua,vt
ne pueros quidem terreat. Fuit quidem certe
hoc etiã olim familiare non modo hæreticis,
sed & schismaticis, vt Ecclesiæ quoque catho
licæ titulum suæ factioni ascriberẽt. Sed quis
eorum impudẽtiam non rideat? Eat nunc no
ster Salmoneus, & bruta sua fulmina eiacu-
lando percellat Galliam trepidantem.scilicet
hoc eius verbum est: æra sonant Corybantes,
expauescite pueri. Memini,quod Augustinus
narrat, olim Petilianũ quendam Donatiano-
rum Apostatarum ducem & Episcopum, cla
mitare solitũ esse, *Totus mundus apostatauit. Nos
autem in Ecclesia permansimus, tanquã duæ illæ Tri
bus in populo Dei.* Iampridem tu eodem ore ca-

nis eandem cantilenam. Sed ſi id poſteritati perſuaderi velis, diligẽtius, quàm nunc facias, contine ô magne Tribune tuam tribum. Tu in priori tua contra me declamatione, Eccleſiam, à qua defeciſti, cõparas cum decem Tribubus Iſraëlis, quę Ieroboam ſecutæ ſunt. Itaque tuã ſynagogam vis haberi pro regno Iudæ, pro duabus (inquam) illis Tribubus, quæ Roboamo paruerunt. Sed hæc tua iactantia, quid eſt aliud quam recocta crambe Donatiſtarum? Quid verò Donatiſtis reſpõderit Auguſtinus, etiam relegito, & quidem, ſi potes, animo ſedato, docili, religioſo. Vt verum tibi dicam; illi illi me libri Auguſtini, quos poſtquam abs te diſceſſi, legi, reuocarunt ab ea, in qua & nouos Circuncelliones videbam, factione: & optarem, vt qui in Gallia etiamnum eo loco ſunt, quo fui, libros illos religioſe legerent. Si illi te vrunt, mihi iraſci non debes: ſi iis ſubſcribere vis, dele quam mihi dicam ſcripſiſti. Nam iterum profiteor, me in Auguſtini ſententiam iuiſſe, quam Chriſtianam eſſe ſentio: neque vt ab ea deficiam deinceps facilè efficies. Si eũ iudicẽ recuſas, & actũ agere vis: ſaltem cum litigas περὶ ἀποστασίας, vt liqueat quid velis, prius definito quídnam ea ſit: deinde ſi quem eo nomine reum facere vis, appoſitè ex eo genere repere & expone ſpeciem criminis, & proba quod obiicis. Nam falleris, ſi ſolo ſiue ſibilo ſiue crepitu conficere putas

quicquid tibi libet. Prius illud præstitisse te fortasse dices, quia subornaris nostrũ quondã Crispinum, tuum librarium, vt ederet nescio quem commentarium ad L.III.C.de Aposta. Equidem primum tibi gratulor, quod tã consulta habeas mancipia, támque paratos tuo sumptu consiliarios, eósque non ad imprimẽdũ ius modo, sed & ad scribendũ dicendúmque ius paratos, & quidem (ô tuas gentísque tuæ Domitiæ delicias) Ænobarbos. Deinde nostræ patriæ etiam gratulor & admiror tuã felicitatem, quod eum, qui dicebatur desiisse esse Iurisconsultus, vt fieret librarius tuus, nũc rursus ex librario repente facere potueris Iuris vtriusque non modo consultum, sed etiam interpretem. Verum moleste fero commentarium illum, quem inscriptio & pagina prima tuæ farraginis pollicetur, nondum huc perlatum esse, & sine appendice tam nobili farraginem tuam mancam & imperfectam in nundinis Francofordiensibus, væniisse cõqueror: & quia pro integra est vendita, ex empto contra venditores malæ fidei institorésque tuos agendum esse putarem, nisi si de dolo malo potius agẽdum esset. nam edictũ Ædilitium, ex quo tales merces redhibere possem, non satis esset ad puniendam talem fraudem.

Age, etsi commentario tuo, & glossa tui interpretis caremus, conabimur tamen legem, ad quam nos reiicis, vtcunque intelligere, gra

tiásque tibi etiam agemus, quod tandem aliquãdo leges, quas hactenus superbe contempseras, ex Iustiniani nostri libris repetitas, iudices esse non nolle videaris. Cæterum librarius tuus debebat l. IIII. C. de Apostat. priori loco proponere, vt abs definitione ordiretur suam disputationem, hoc est, ab eius constitutionis ea parte, quæ, ne huius (vt ait) interpretatio criminis latius in incerto vagetur errore, definit, *Apostatas appellari, qui nomine Christianitatis imbuti, sacrificia sacrilega vel fecerint, vel faciẽda mandauerint.* Nescio, an hic tuus seruus, quia est licentiatus vtriusque iuris, malit definitionem apostatarum repetere ex iure Canonico: sed suum prælum vix exercere posset, nisi si seruis vteretur iis, qui eo iure dicerẽtur apostatæ. Equidem nõ possum diuinare, quid talis legislator, qui scribit ad Iuriscõsultos de apostatis, sibi velit, donec commẽtarium eius legero. Sed interea suspicor eum ex iure Ciuili definitionem potius repetere: præsertim cum speret fortasse ex ea efficere posse, omnes Iurisconsul. esse apostatas. Cur ita? Quia Vlpianus ait eos appellari sacerdotes. Accursius vero, eo loco annotet, esse sacerdotum, facere missas. Et fortasse hic error fecit, vt tuus librarius defecerit ab ordine Iurisconsultorũ, ne & ipse Apostata iudicaretur. Quam verò obstupescet, si addidero ex Cod. Th. legẽ Constantis & Constantii, A. vel B. solis aduocatis

dandum esse prouinciæ sacerdoté? Ad quod sacerdotum dictionariũ, vt se expediat, confugiet bonus λεξικογράφος? Non possum non iocari in re licet seria, cũ video ridiculam istius siue Doctoris inscitiam, siue Censoris arrogãtiam. Etsi fortasse aut nescit, aut fateri nolit tam antiquum esse Missarum verbum, quam est illa Constitutio, quam laudaui: tamen suspicor, si rogetur quid cogitet, cum in ea legit, sacrilega sacrificia; Missas dicet. Sed nisi si rursus definiat, quid, cum eas dicit, intelligat, vereor ne cõfusa & ambigua voce ipsum etiã Ambrosium, qui certe vixit ante illam legem, significet fuisse Apostatã. Ambrosius enim se Missam fecisse ait. Negabit hoc fortasse auditor tuus. Nõ enim id istic audiuit vnquã. Sed legat Ambrosii Epistolas, & discat, quod nõdum didicit: quanquam rursus sit illi necessarius aliquis commentarius, vt intelligat Ambrosianam Missam, & quid olim hoc verbo significaretur, & quid esset, discernere possit noster interpres antiquitatis. Imo vero dicet se non ignorare, quod in tuis toties castigatis Institutionibus (tuos enim prope solos, vt excudit, sic legit libros) etiamnum legitur, Missam olim dictã esse abs muneribus, quæ mittebantur. Ergo vereor, ne noster librarius malit esse municeps quàm munificus, ne propterea sacrificus, & (quod consequẽs esse putat) apostata, esse iudicetur. Ignoscat iterum mihi

lector, si nondū desino iocari in re seria. Quis non rideat istorum Magistrorum tam putidas superbásque ineptias? Si, ne longius abires, per tuas delicias tibi licuisset, illius, quem pro tua ciuilitate Lamiam in sterquilinio iacere scribis, vir fortissime atque mundissime, commentarios euoluere: potuisses non ignorare, Missam olim Christianos vocasse, vt vocabāt Collectam: & hanc, cum populi concio congregaretur: illam, cum dimitteretur, vocem frequentem fuisse. Quam obstupescet doctissimus tuus interpres simul & Chalcographus, si dicā Missam quoque olim appellatam fuisse, illam collectam, vbi neque sacramenti, neque sacrificij vlla erat memoria? Sed hæc & huius generis plura, quæ tecū ignorat, mecum addiscet, vbi etiam scire volet, quænā olim recte iudicatæ sunt esse Missæ (vt appellabantur) legitimæ, quænam nec legitimæ. Interea vt hoc verbo, quod etiam sine re odit, minus offendatur, eum & te moneo extare in ipsis Pandectis Flor. veteresque Iurisconsultos appellasse Missam, vbi de repudio misso agitur. Quam significationē si admittat tuus leguleius, non negabo me, cum à vobis diuerto, vósq; missos facio, missæ reum esse. Sed ad rem. nam plus satis iocati sumus. Nemo, credo, tam insulsus, præter tuum typographum, est, qui ignoret, in illa, qua de agitur, Constitutione sacrificia sacrilega vocar

ea de quibus agitur Cod. de sacrific. Pagan. neque tamen recuso, quin post Christi tempora eodem loco habeantur impiorum Iudæorum sacrificia. Itaque & in lege Constantij, si quis ex Christiano Iudæus efficitur, iudicatur Apostata: & in Constitutione Theodosii, desertæ religionis reus esse dicitur, qui ad sacrilegia Templorum, vel ad ritus Iudaicos transiit. Hinc æstimare licet, Apostatam in hisce legibus appellari, qui abs Christi religione descifcit ad Iudaismum aut Paganismum. Sic Iulianus ille dictus est Apostata, quem Ambrosius appellat Præuaricatorem, vt Eustachius, παραβάτην. Non puduit interea hunc tyrannum leges ferre de Apostatis. Si hoc est, vt est, indignum: nonne indignius est, te definire Apostatas esse, quicunque tua signa, etiã cum ea audes quæ religio Christi vetat, non sequuntur? & aduersus hos tamen velle detorquere veteres Christianorum leges de Apostatis? Videris, an cum Iudæis aut Paganis habeas aliquid commune in seditionibus prætextu religionis excitandis. Ego vero profiteor si à tali factione deficiam, religiosam esse ἀποστασίαν. Si hanc hæresin esse putas, dicito quænam sit. Certe Machometanam esse non dices. Equidẽ memini Cyprianum scripsisse Nouatianum olim voluisse sacrificia sacrilega offerre. Loquitur autem de eo, qui (vt ait) profanum altare erigere & adulteram cathe-

dram collocare tentabat: qui (vtar Cypriani verbis) *nitebatur adulter & extraneus Episcopus fieri à desertoribus: qui post connexam & vbicunque coniunctam catholicæ Ecclesiæ vnitatem, humanam conabatur Ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates nouos Apostolos summittebat, vt quædam recentia institutionis suæ fundamenta constitueret: cumque iampridem per omnes prouincias constituti essent Episcopi, creare alios pseudepiscopos audebat, &c.* Agnoscis bone vir, Cypriani verba de Nouatiano, sacrilega sacrificia offerre volente. Nűc vide, an nihil tibi cum eo sit commune, nihil simile. Nos talem nebulonem, omnésque eius similes siue impostores, siue desertores, siue nouatores, execramur. Quid preterea sibi vult librarius tuus? Scit me à primis annis nihil nõ fecisse atque etiam nűc facere, vt eos fugiam. Scit me neque esse, neque fuisse sacrificum: imo vero sacrorum omnium ignarű esse me, tu illi dictasti, & id suis ille typis statim consignauit. Sacrilegum quidem certe (credo) non dicet, nisi forte vt Ouidius sacrilegum vocauit Lycurgum ob contempta Bacchi sacra. Sed si vellem de arcanis vestris siue sacris siue sacramẽtis siue sacrificiis vicissim dicere, qualem putas ὑποκρίσει describerem, hominum dicerẽ à fide desciscentium, si fraudem cõtrariã esse bonæ fidei, Latinè liceat dicere. Si (inquam) mihi nűc liceret (sed liceret, si vellem) vestrorum cõsiliorum atque arcanarum com-

municationum mysteria euulgare, sentire te non tibi satis cauere, cum tam confidenter alteri obiicis quod tibi proprium est. Sed si hanc ætatem lateant tam subtiles tuarũ actionum insidiæ: at certè posteritati non erit ignota historia. Interea infelix tuus librarius, qui balbutit de suis apostatis, viderit, cum quibus ipse quotidie communicet: ac, si alios accusare velit, prius se liberet. Saltẽ liquido probet, quod intendit. Nam turpe esset, eum, qui non vult videri defecisse ab ordine Iurisconsultorum, hanc primam Iurisgẽtium regulam non tenere. An, ne non discipulus tuus videatur, vis exemplo eum tuo palam calumniari atque improbe mentiri, vt & habeas sociũ in dependendà calumniæ pœna? Sed oggannier, etsi in Gallia neque Iudęi, neque Pagani suo more sacrificent, tamẽn alia esse non minus sacrilega sacrificia. Quænam ô vindex sacrorum? Ineptus ego, qui istud ab isto mancipio pręlorũ, tanquam ab aliquo veteri Rege sacrificulo petam, cum tamen, non modo quid sacra facere, sed etiam quid facere sit, vix sciat. Fortasse ex illa scurrili, quæ isthic excusa est, anatomia, secàbit & proferet aliquid pudendum, quod rideat, ego deplorem. Sed suis auctoribus talia vlcera, si velit, affricet bonus hic Chirurgus. Neque tamen si in theatricam (vt isti histriones faceti vocant) saltationem, ad contumeliam nominis Christiani conuertat om-

nes maiorum nostrorum ceremonias, fecerit aliquid, quod non olim & ab hæreticis factũ sit, & Nazianzenus vidisse se narret. Irridere vero & ad ludibrium traducere si velit barbaræ posteritatis solœcismos (quanquã nõ magis quod est vitiosum ab integro, quàm quod est nouum à veteri discernere sciat) per me sane licet, vt in sua scena saltitet. Cæterũ fingat quascũque volet (vt vocant) abominationes, & eas, quantum velit, exagitet, nihil inueniet, quod mihi ascribere iure aliquo possit. Nam quid tandem est in iis, in quo meum sit crimen? Equidem nulla nisi Christianorũ aut sequor, aut agnosco sacrificia: nulla, nisi sacrosancta, legitima, & religiosa: nulla, nisi quæ post Apostolos in Ecclesia veteri fuisse, & piis omnibus merito placuisse didici. Detestor & fugio, quæcunque vel vitiosa vel impura esse scio. Atque vt vtrunque liquido cognoscere possem, scis me hactenus nihil non fecisse: & constanter cum res bonas defendisse, tum verò malas damnasse. Neque si vis, recuso, quin & diserte & distincte de iis agamus. sed tuum est, prius aliquam speciem exprimere, de qua litigas. Interea videris, num sacrilega sit tuorum audacia, qui veterũ quoq; Christianorũ sacra cõtumeliose proculcãt: saltẽ in iis importune dãnant multa, anteq̃ ea intelligãt: vt audax non minus, quã superba est inscitia istorũ πωηεισῶν. Certe cõcoquere nõ possum, quod

tui quidã volunt, nostros Principes habẽdos esse pro Paganis vel Ethnicis: & in Christianorũ Tẽplis, in quibus fateor & doleo multa esse corrupta, nihil aliud esse quàm merũ Paganismum. Mea quidẽ certe nihil interest, etsi probes, eum à quo baptisatus es, fuisse (vt ais) Cybeles sacrificum: aut etiam, si vis, fuisse archigallum. Sed Curetum atque Corybantum furor est, immanis profecto furor, velle nos insanis clamoribus obruere, si de Christianis modestius loquamur. Memini quid olim nostris obiiceret Faustus Manichæus: sed simul teneo, quid illi responderit Augustinus: cuius librum saltem vigesimum cõtra Faustum illũ legant velim, qui nondum legerunt. Interea quid est cur in me insilias cum isto tuo vlulatu Corybantico? Si sacrifici tibi molesti sunt: ego alienum factum præstare nec possum, nec debeo. Neque tamen tuo crepitu tam valde me percelles, vt veterem Ecclesiam, saxum Cybeles esse dicã. Diruas, ædifices, mutes, quadrata rotundis: quid hoc priuatim ad me? Verum cum tu vis illud Horatianum, *Templa nouo reparare saxo*: audebo dicere malle me, rediuiuo: & id, credo, malunt, quicunque cum Ecclesia Remp. esse optant: proptereáq; tibi, alio consilio aliud molienti, nouum opus nunciarent, si sua nunciatione, quasi quodam interdicto, efficere possent, vt tu cum tuis fabris facesseres, & meliores architecti, qui se abs te obtur-

bari queruntur, non modo ad sarta tecta, sed & ad totius ædificii probam instaurationem tandem aliquādo serio vrgerentur. Sed ea de re alias. Nunc redeo ad legem de Apostatis: in qua cum imprimis sacrilegorum fiat mentio, miror tibi Apostatas non videri tam multos, qui sacrilegiis onusti ad te deficiũt atque confugiunt. Nam & si ij deinde tibi sacrificēt, tamen eorum sacrificia quî dicere posis non esse sacrilega: imo qua prece posis consecrare, ego, vt superstitiosus sum, vehementer addubito. Rursus autem miror, te, cùm, ne quis noua tua sacra relinquat, terribilis eorum vindex cum tuo librario videri vis, eam nunc laudare, quam proponis, cōstitutionem de pœna Apostatarum, cum non nisi intestabiles Apostatas esse velit: & vos non tam Solones, quam Dracones, denũcietis supplicium capitis omnibus, non solum, quos vestro more definitis Apostatas, sed & qui capitales vobiscum esse recusant. Miror (inquam) quòd non laudetis potius illam de Paganorum sacrificiis legē capitalē, quā & laudat Augustinus epist. xlviii. & ab ipsis quoque Donatistis laudatam fuisse ait. Tolerabilius id fuisset, quam quòd tuus siue hypodidascalus, siue procurator, etsi Nicephorum detestari soleat, tamen laudare non dubitauit, quod ille narrat, tempore eius Tyberij Imper. qui post Iustinianum imperauit, quendam Anatolium, qui Antiochiæ sacrificarat

carat

carat idolis Paganis, cum proscriptus tantum abs Principe & Iudicibus esset, abs fremente & tumultuante plebe, bestiis obiectum esse, à quibus discerptus sit. Certe qui tale exemplũ populi seditiose furentis aduersus rem iudicatam laudant, atque ad imitationem proponunt, quid tandem agant, vix, credo, cogitãt: nisi si ius non curent, qui hoc tantum curant, vt regnent, & regnandi causa ius violandum esse audiũt. Et fortasse sapiunt, qui, quo iure, qua iniuria, terrere & cõtinere suos Initiatos volũt. Sed quid noster cum sua lege librarius? Vbi eius Commẽtarium legero, audiam quid tandem dicat de cõstitutione, quæ iubet Apostatas esse intestabiles. Fortasse quia alias dixi auctores famosorum libellorum esse intestabiles, quęrit recriminationem, & simili pœna dignam facti speciem fingit. Sed quid si illi iterum obiiciam, non modo Manichæos, sed & Donatistas, à quibus forte minus abhorret, lege quoque iuberi esse sacros & intestabiles? Quid si addidero, non modo testimonio & testamento, sed & commercio iis esse interdictum? Quò se vertet hic noster mercator, si eo iure teneatur? In quibus nundinis vendet suas merces? Sed (vt audio) boni & simplices nostri Censores legibus non vtuntur nisi in rem suam. Itaque cedo. Mirum vero quod istis de pœnitẽtia, de remissione peccatorum, de Dei misericordia toties & tam liberaliter decla-

mantibus, tâmq; lubenter omnes ad eorũ castra transfugiẽtes excipiẽtibus, nunc tãtopere placeat illa huius cõstitutionis causula: *perditis, hoc est sacrũ baptisma profanantibus, nullo remedio pœnitentiæ, quæ solet aliis criminibus adesse, succurritur.* Suspicari aliquis posset nostrũ iudicẽ Apostatarum, propemodum iam esse factum Nouatianũ. Sed dicet se hanc Constitutionis clausulam intelligere de peccato in Spiritum sanctum. Velim tamẽ, meminerit, eius peccati diiudicationem, Dei cognitioni atque iurisdictioni arcanæ relinquendam esse potius quàm hominum arbitrio temere cõmittatur. Interea patior, vt statuat noster librarius de se suísque gregalibus, an tale peccatum commiserint. Verum ne statim alios iudicet ex suo ingenio. Equidẽ scio veteres in Ecclesia multos, qui Nouati alioqui hæresin damnabant, docuisse non nisi vnam post baptismum esse pœnitẽtiam, & hanc solam post naufragium veluti tabulam superesse. Sed an audebit noster interpres hanc opinionem suis commentariis attexere, quã in sui magistri Institutionibus damnatam esse legit? Quid? In iis etiam legit laudari hãc ipsius quoque Cypriani protestationem: *Patientia & facilitas & humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi. Remitto omnia, multa dißimulo, &c.* Nũc quàm ridicula sit seueritas nostri Catonis Censorii, æstiment viri graues. Ego risu & iocatio-

ne digniorem esse existimo, quam refutatione, præsertim cum hominis, cum quo nũc mihi res est, ineptias nimium familiariter nouerim. Ergo mihi alii ignoscant, qui hos Areopagitas non nouerũt, si in re licet seria, iocando potius quàm pugnando abigam istas laruas, quæ illudendo terrere me volunt, quasi nescirem eos, cum id faciunt, inter sese clam ridere. Equidem vt olim Cato mirari se dicebat, si aruspex cum aruspicem aspiceret, non rideret, mirarer, si isti collusores, cum domi sunt, inter sese risum continere possent. Quid igitur me torqueam, vt serio pluribúsque verbis eos refellam? Quid ego nunc aduocem Iuriscõsultos Principes nostri ordinis, quos hic nugator per meum latus confodere vult, vt togatum collegiũ, à quo turpiter defecit, impiæ defectionis accuset? Quid (inquam) viros doctos & excellentes Iurisconsultos aduocarem ad depulsionem huius iniurię, & fugitiui mancipii perquisitionem? Scilicet existimo, magno esse opus præsidio, vt aduersus tuam impressionem sese defendat ordo noster, & pati non possum, vt qui se alteri mancipauit, perpetuam seruitutem seruiat, neque ordiné, quo indignus erat, dedecoret sua societate. Et vero quid tu infelix chalcographe cũ tuis follibus eos lacessis, quos miseret tuę miserię? Me quidem certe nũquam commouebis tam valde, vt serio tibi irascar. Memini quod Au-

gustinus narrat de suo Possidio, quem duo Crispini Donatistæ Calamenses, Episcopus & Presbyter, indigne vexarũt: sed qui tamen reipsa declarauit non cupere se hostium suorum (vt ait Augustinus) vindictam, sed (si fieri posset) conuersionem. Ego in Crispinum, nostrum quondam condiscipulum, & (vt hactenus ego nimiũ credulus putaui) amicum, etsi, vt hero suo placeat, in alios crudelis sit, non minus lenis esse velim. Nam neque omnino obliuisci possum veteris amicitiæ & consuetudinis & eiusdem à pueris educationis: tametsi hic quondam meus sodalis, omnis & pudoris & humanitatis, & ingenuitatis, non minus quam iuris, sit oblitus, ex quo factus est seruus Allobrox. Scio ab Horatio celebrari quendã Crispinum Stoicum philosophastrũ: sed ineptum vocari, & vt inflatum loquacémque rideri, audio. An nostrum cum eo compararem? *Notisunt Horatij versus,* *-ecce*

Crispinus minimo me prouocat: accipe, si vis,
Accipe iam tabulas: detur nobis locus, hora,
Custodes: videamus vter plus scribere possit.
Dij bene fecerunt, inopis me quódque pusilli
Finxerunt animi, raro & perpauca loquentem.
At tu conclusas hircinis follibus auras
Vsque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Vt mauis, imitare.

Nihil nunc præterea optimo nostro Crispino respondero, præsertim cum egregium eius de

Apostatis commentarium, licet precium numerarim, nondum acceperim. Eum vbi legero, videbo, an alia dignus sit responsione. Ac, si me ipsi debere αἰπόδωροι dicet, dabo commentarium ad L.1.C.de Sacr.Trin.& fi.Cathol. hoc est, ad legem ex eodem Codice repetitam, ex qua discet aliquid, si non de Apostatis, quos probe scilicet nouit, at certe de hæreticis, quorũ videtur etiamnum ignorare conditionem. Verum quo se vertet bonus vir, si ad Constitutionum Codicem, ad quem prouocat, eum reuocem, & vbi ingressus erit, retineam? Quid faciet, cum audiet Christianarum legum fulmina, quę illic inclusa sunt, & vinculis laqueísque, quos imprudens induit, teneri se sentiet? Qua spongia delebit, quo inducet atramento, tot Maiorum, quæ in eo libro leguntur, de rebus Ecclesiasticis Constitutiones antiquas, quarum vel sola recordatio, capitalis est sententia de hisce nouatoribus? Si hi saperent, talem Codicem, quod hactenus cautè fecerunt, fugerẽt tanquã scopulum. Sed fortasse vult Deus eos sua imprudentia irretiri & veluti αὐτοκατακρίτους teneri. Quia tamen dixi parcere nunc me velle nostro monitori, non cogam vt excedat quod sibi intriuit: sed veterẽ amicum, quem turpiter seruire doleo, etsi amica admonitione indignus sit, amice monebo, ne nouo domino heróque crudeli nimium obsequatur: monebo, vt si non

vult videri plane oblitus Iuris, ſaltem meminerit illius regulæ, quæ monet, in iis demum, quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, ignoſci ſeruis, qui dominis, vel iis qui vice dominorum ſunt, obtēperauerint. L.clvii. De diuerſ.reg.iur. Nunc ad te redeo magne Ioannes, vir humaniſſime, vt audiam ecquid prçterea in me accuſes, quod capitale eſſe putes. Etſi ſuauiter riſiſſe te dicas (ô riſum in aliorum gemitu crudelē potius quàm ſuauem) tamen fremens indignaris, cum audis me veterum Chriſtianorum iudicia de coërcitione hæreticorum præferre tuis capitalibus decretis: & exclamas propterea, nos ſeuitię infamia aſpergere legem diuinam. Ne ſæui magne ſacerdos. Nam in iſto æſtu tuæ tam effuſæ iracundiæ vix vides, quos petas, in quos incurras, quid miſceas. Eſt hoc quidem magnæ cautionis & artis, ſemper legem diuinam prætexere, cuius nomine tanquam clypeo, non modo tegas & ornes crudele tuum factum, ſed & merum illud, quod affectas, imperium armes. Sed magnæ rurſus amentiæ atque perturbationis eſt, non ſentire, quid homines cordati ſentiant de iſta tua tam audaci Dictatura. Quicunque tibi, cum eos, quos hęreticos eſſe pronūcias, vſtulatos ardere iubes, non ſubſcribunt, vis tanquam diuinæ Maieſtatis reos abs tuo Tribunali ad eundem rogum duci, quia, vt ais, ſeuitiæ accuſant legem

Diuinam. Itáne vero audes, non dico tot huius ætatis piorum & Christianorum hominũ milia, qui abs te dissentiunt, sed & vniuersam Ecclesiam veterem, eiúsque religiosam moderationem, nõ iam dico infamia aspergere, sed tam atroci crimine onerare? Tu cum Donatistis sæpe exclamas, *Totus mundus apostatauit*. Tu cum omnes, præter te & tuos, errare dicas: hæreseos prope omnes damnas: damnatos ardere vis: rursúsque eos, quibus hæc non probátur, simili sentẽtia iugulas. Cui igitur vitam relinquis? Olim Iustinus in sua ad Zenam & Serenum epistola, reprehẽdit quosdam sui temporis zelotas, qui igneis (vt ita dicam) affectibus, quibus tamẽ, vt fit, Euangelij nomen obtendebant, indulgentes, sic erãt inflammati, vt si potuissent quod volebant, ignẽ excitassent, quo totus orbis cõflagrasset. Quid tu? Id alij iudicent. Nimis enim efferuesces, si quid ipse dixero. Nam & quia te antea verecunde monueram, non esse satis, obtendere zeli nomẽ: & propterea mentionem feceram zelotarum Hierosolymitanorũ, qui scelerati latrones fuerunt: nunc furiose clamitas & calumniaris, me tibi talia scelera ascribere. Non ita est vir optime: sed opto, ne iure dici aliquando tale quippiã possit de factione tua. Certe terribile est, quod vt tuæ crudelitati patrocineris & applaudas, confidenter vrges, nõ posse damnari legem tuam, quin diuina dam-

netur. Quid? Nullúsne iam à tempore Mosis præter te, aut legit aut intellexit, aut obseruauit legem Mosaicam de pseudopropheta, de blasphemo, de idololatra? Nemo quidem certe præter te vnquam sensit, nihil de eius seueritate posse remitti, cum etiam est nouum crimen erroris & falsæ opinionis, quod alioqui neque doli mali, neque malæ conscientiæ peccatum sit. Nemo (inquam) præter te vnquam cogitauit, esse necesse, vt quod Moses edixit de iis quos dixi, statim trahatur ad eos, quos tu hæreticos dices, si non lapidandos, at certè concremandos. Si dicerē, quænā fuerit executio legis Mosaicæ in sua illa gēte & Rep. dicerē quod esset nūc satis ad te reprimēdū. Quid? Non ausus est ipse Moses, quod de idololatra edixerat, trahere ad blasphemum: sed oraculum iterum consuluit, an quod de illo decretum erat, ad hūc quoque pertineret. Et tu audes tuo arbitrio: quid prius dicā, posteriúsve? Tam multa nunc mihi occurrunt, quæ contra te & dici possunt, & dicunt omnes boni, vt nesciam vnde ordiri, vbi desinere debeam. Si diceres distinguere te, sicuti distinguit Augustinus, inter hæreticum & hominem hæreticis credentem, aliquid diceres. Sed Augustini mox & tuæ personæ oblitus, cælum terræ misces. Quid nunc in hanc disputationé longius ingrediar? Quia paucis verbis explicari non potest, & tu ab ea forte abhorres, agé reii-

ciatur in alium locum aliúdque tempus. Sed quia te amo & tibi tuísque metuo, facere non possum, quin obiter moneam te tuo capiti parum cauere videri, cũ in ea disputatione vteris quodam procuratore, qui cum capitalẽ pœnã denũciasset hæreticis, alio loco sui tuíque oblitus definit *hæreticum esse, qui à recepta Ecclesiæ doctrina ita aberrat, vt contempto Dei & Ecclesiæ ipsius iudicio, in sententia permaneat, & discipulis ascitus, Ecclesiæ concordiam violet.* Credo te tam hebetem non esse, quin videas talem definitionẽ & eius auctori & tibi esse periculosam, & propterea gratias agas Castalioni, qui de vtroque solicitus, eam esse vitiosam ostendit. Sed si sapis, vel inde disciro, ecquo recideres, nisi si hostes ipsi tibi parcerent. Disce, quo in statu esses, si quod ius aliis dicis, eo iure vti, sicuti æquum esset, deberes: denique memineris, quid illi, qui Taurum Phalaridi obtulit, merito acciderit. Equidem quo magis considero, & quisnã tu sis, qui tantũ audes: & quid feceris, antequam legem, qua ita faciundum esse imperares, tulisses: & quid cum de tuo facto & lege noua te amici, quid sentirent, monerent, per tuum rursus terribilem Proconsulem iratus edixeris: denique cum reputo, quod, cum ipse etiam, ipse Musculus & vicinus & familiaris tuus, & in tuo ordine nõ minoris, quàm tu, auctoritatis, in suis Locis communibus postremo ea scripsisset, quæ te pro-

fecto reprimere poterant, debuerántque: tu magis atq; magis exarſeris,& in Prophetã Zachariã ſcribẽs,ea addideris de eadẽ(vt vis)tua lege diuina,quæ ſignificarẽt,etiã priuatis hominibus,ſi aduerſus eos quos iudicas hæreticos,vel idololatras inſurgendũ ſit, diſtrictum gladiũ te porrigere, & plus quam imperium merum ſingulis mandare, vt etiam parentes hoc zelo tuo incenſi,auſint hoc nomine liberos ſuos confodere & iugulare: hæc (inquam) omnia,cum propius cõſidero, & quò euadãt, prouideo, quid aliud quàm attonitus exclamare poſſum: Deus bone,ecquo res Chriſtiana recidit,ſi hic & Dictator, & Legiſlator,& Zelotes,rerum potiatur? Mirabar nuper quorſum euaderet inflãmatus tuus quidã Apoſtolus,qui,cum hic concionaretur,ſuis auditoribus vehementer commendabat extraordinarium illud exemplum Leuitarum ſtrictis gladiis per caſtra diſcurrentium,& obuios quoſque idololatras trucidãtium. Sed nunc audio vix te contẽtum eſſe talibus Leuitis. Quid igitur homines inepti mirantur abs te iſtic quendam vſtulatum eſſe? Quid ſibi volũt,qui propterea contendunt tecum & cum iis qui tibi ſubſcribunt,in Eccleſia communicandũ non eſſe, donec tu illius non modo ſanguinis, ſed & ſanguinariæ legis pœnitẽtiam egeris: & allegant neſcio quid,quod Ambroſius ad Valẽtinianum ſcribit? Ac quidem tu caute feciſti,

quod ſupplicio non adfueris,quia fortaſſe legeras,veteres Chriſtianos ne quidẽ ſpectatores talium animaduerſionũ eſſe potuiſſe. Sed quid Nero,qui ex turri Mecænatis, ſpectabat ἁλωσιν; Rurſus caute facis, quod cum iſtic dicitur, aliquid abs te factum eſſe crudeliter & extra ordinem, tu miſeros tuos,neſcio quos Syndicos ſubſtituis. Sed an neminem ſcire putas,quinam illi peregrino viatori,qualiſcunq; tãdem is fuerit,& fuerit licet ipſe Arrius,manum iniecerint, & accuſatorem ſubornarint coquum ſuum: denique ſentẽtiam capitalem dictarint? Certe tu mihi iniuriam rurſus facis, quod cum de tua ſeuitia queror,Syndicos illos abs me accuſari ais. Quid ij fecerint vel non fecerint, neſcio, nec moror: ſed ſcio,ſi quid faciant,imperio fieri tuo. Eos enim ſcio abs tuo nutu pendere: præſertim cum meminerint,quid illi ſuo collegæ acciderit, qui tibi ſemper parere nollet: & quo iure, qua vi,quáve arte pulſis legitimis dominis,qui tibi erant moleſti,ſis factus Allobrogum Regulus. Sic tibi pulchre cauiſti,ne qui aliquando neſcio cuius criminis damnatus,iſtinc pulſus à Syndicis & actus in exilium es, iterum exulares. Aiunt Heshuſium,Magdeburgẽſem concionatorem,Auguſtanę confeſſionis acerrimum propugnatorẽ,tibi nuper cum illa grauiora multa,quę quo atramento dilues,neſcio,tum illud imprimis publicè exprobraſſe, te iſtic

præesse iudiciis capitalibus. Quid si vidisset, quæ vidi? Nescio an memineris: sed profecto memini, quęnam pridie quàm abs te discederem, domi tuæ noctu agitarētur cōsilia de nece cuiusdā tui (vt vocabatur) Capitanei. Ego mysteria retegere non audeo: sed Bernenses, qui te represserunt, testimonium dicent. Cæterum dissimulare non possum, quoties cogito non modo quæ istic consulta, scripta, factáque crudeliter sunt, sed & quæ istinc huc sunt perlata sæuitiæ tristissima exempla, magno me dolore affici: neque non ad meas interdum querelas exprimendas, cū solus sum, recitare quosdam ex antiquis tragœdiis lugubres versiculos: quos ego tamen nunc supprimam. Nam & irasceris me veterum poëtarū verbis interdum vti: vterer potius hendecasyllabis tui collegæ, si vt numeros memini, verba tenerem,

Vos interrogo, quæ caput tenetis
Nascentis Rhodani superba saxa:
Vos, Nymphæ, rogo, quotquot hinc vel inde
Lemanni vitreas tenetis vndas,
Cur sæuos homines fouetis illos? &c.

Non memini eorum, quæ sequuntur: & vereor ne non suauiter satis tibi tinniant, hi versiculi nimium lenes molléſque: flebiles dico (vt vocat) Phaleucos, vernaculi tui vatis: tui (inquam) & familiaris, & domestici, & contubernalis, & prope riualis, elegātissimi quon

dam poëtæ, ſed qui ex lepido obſcœnóque poëta factus eſt repente ſeuus theologus? Verum tu, vt ſtatim te liberes, & os mihi ſemel obſtruas, nũc magis me premis. Iubés vt ſeuitiæ tuæ, de qua toties queror, acta cõmemorẽ. Equidem ſi tui capitales actuarij eſſent bonæ fidei, iuberem vt ederent quod petis. Si id eos facere non pateris, & ab exteris, qui non omnia ſciunt, cõmemorari talia velis, rogo, quẽuis alium potius quam me oneres tam triſti recitatione. Superioribus annis ille, qui te profecto ſatis lancinat, ab extremis Phriſiæ finibus Lindanus ſignificauit ſe ſuo tempore & loco conferre velle acta tua cum actis Donatiſtarum: vel ſi abs Batauo Belga (quẽ nullo hactenus reſponſo dignatus es, acriter licet ab eo tentatus ſis) depingi nolis: audio hîc hiſtoriam illam Donatiſtarum Gallice deſcriptam & cum tuorum actis collatam excudi. Ergo me abs tali commemoratione nunc abhorrere benigne patiaris, vt iam de ſtili tui (qui naturæ tuæ & ingenii index eſt) ſeuitia tãntum conquerar. Nam neque omnes alii, quos læſiſti, ſemper muti erunt, neque iis facile perſuadebis quod de tua lenitate & patientia prædicas. Scilicet quiſquam te vel imprudens vnquam pupugit, quem vbi vbi potueris, non afflixeris, & ad quem affligendum toto etiam decennio occaſionem non obſeruaueris, crudeli cupiditate diræ vltionis incitatus? quam

quidem in te cupiditatẽ non minus insatiabilem, quam implacabilem esse amici quoque tui dolent ac mirantur. Et tu nunc mihi laudabis celebre (vt ais) Socratis dictum, *An asino, si me calce petiisset, coram Prætore diem dicerem?* Magnanima nempe est patientia tua Socratice Magister, nisi superbiã malis, qua nos gloriose despicis & proculcas. Sed si asini, quibus insides, tã saperẽt, q̃ ille olim Balaamitic⁹, aliquid forte ab iis aliud audires. Scilicet brutũ mutúmque pecus facile contemnere potes, à quo tibi non metuis. Generosius animal non potes, quod non tam facile subigas. Verum cũ tuis quadrupedibus, ne tibi pauperiem dent, transigito, vt voles, sine Prætore: asinósq; tuos tuo arbitrio castigando doceas, ne aduersus stimulum calces. Me cur eodem tractare modo velis, nihil est causæ. Interea equidẽ te istic non modo Prætorem, sed & Quæstorem esse facile patiar, modo hîc non affectes, quod in alieno iã territorio merũ imperiũ occupasti: cúmque vel Allobrogũ Duci, vel Bernensibus dominis (qui quid sæpe de te pronunciarint, nõ ignoras) satisfacias, tum vero eorũ doctori Musculo, vicino tuo, cuius auctoritatẽ contẽnere non potes, pareas: qui postremo nõ modo tuę rogationi, de qua nũc agimus, grauiter intercessit, sed & quam pertuleras legem sanguinariam, abrogauit. Quia Duarenum Iurisconsultum mihi obiicis & laudas, iuberem te

memorem esse, quàm ille quoque in suis Beneficiariis Commentariis talem legem repudiarit, & te moneat non temere olim dictum esse, *homines non pallio, sed auribus esse trahendos.* Sed si mihi in aliquam ea de re disputationem descēdendum esset, tecum agere paulò aliter vellem: neque (quod meæ tamen iurisdictionis fortasse magis esset) de magistratuum in coërcendis hæreticis officio nunc agerem, sed potius de tuo, cuius videris oblitus. Et tamen vt tuæ cauillationi occurrerem, præfarer, non de blasphemia, sed de errore, neque de impunitate, sed de coërcitione, quæ capitalis non sit, quæri. Ac imprimis quidē, si te dixero abuti lege Mosaica, quam mihi opponis, senties me dicere verum, si modo diligenter legeris libros Augustini cōtra Faustum, iísque subscribere velis. Leges autē Christianorum Cæsarum de hæreticis & Manichæis non omnino fide optima recitauit tuus mīnister pragmaticus, cui vellem, crederes interdum minus. Saltem, si dignetur aliquando tua grauitas, Cod. Th. euoluere, intelliget, eum nimis liberaliter extremi supplicij mentionem falsam laudare in constitutione Theodos. Quale sit hoc falsi crimē, alias fortasse viderimus. Vos vero, vos quinam estis, qui in Consistoriis iudicia de hęreticis vobis arrogatis, & de aliorum immanitate quiritantes, noua interpretatione nostrarum legum, vultis augere acerbitatem sup

pliciorum? An hoc ista vestra persona dignũ, an Apostolicum, an Euangelicum, an Ecclesiasticum esse dicetis, tuque, puerque tuus? Si hoc faceret Quæstor vel Iudex aliquis capitalis, ferre fortasse possem: sed quis vos ferat? Certe Augustinus in hac causa rogat Iudices, mitius vt agant, quàm lex agat: & illis semper licuisse ait, legis sententiam lenire. Relege, si vis, eius epistolam clviii. & clx. & librum contra Donat. post collat. Saltem illud expẽdito, quod protestatur, sese, nisi etiam Iudices hic mitiores sint, quam leges, ab eorum sententia tãquam iniqua prouocaturum esse. Mira profecto est hæc & insolens appellatio. Quid si adderem, quod idem scribit de iure Episcopalis intercessionis siue deprecationis: quódq; in aulã Imperatoriam irrumpens Ambrosius, pro quodã etiam pagano maiestatis damnato fecit eo iure fretus? An dices tantum tibi non licere, propter lvii. C. de episc. aud? Equidem neque tantum abs te exigo. Neque quod olim Flamini Romæ concessum fuit, tibi concedi nunc velim. Sed doleo, te tam & acerbum & seuum videri, quam alii, in quorum tamen ordine sedere vis, clementes lenésque fuerunt. Si Augustini vel Ambrosii exemplis non moueris, saltem Gregorii Nazanzeni epistolam cxxxvii. ad Olympium Præsidem, de hæreticorũ facinorib⁹ loquẽris, recognosce: καταξίωσον (inquit) ἐπεξῆλθεν τοῖς γεγενημένοις, εἰ δὲ τῆς ἀπονοίας ἔλαττον.

ἄλλοι. Interea ſane Iuriſcōſultis in ſuo foro liceat interdum dicere, quod Symmachus ad Theodoſiū ſcripſit, *Sententias videri corruptas, ſi ſint legibus mitiores.* quanquā hoc ille dicat tantum vbi de calumniatore eſt quæſtio: de quo etiam cū quæreretur, noſter Papinianus olim propter legē Remmiā reſponderat, *pœnæ perſecutionē nō iudicis voluntati mandari, ſed legis auctoritati reſeruari:* Neq; hīc, ſi vis, obiiciā, quod poſteriores Iuriſconſulti dixere, hodie pœnas eſſe arbitrarias. Sed tu ſeueritatē in eo crimine puniēdo, minime (vt audio) probas, & ſapis. Aduerſus idololatras & hæreticos, quos vocas, ſeuerior eſſe vis, vbi quidē potentiorē te eſſe confidis. nam alibi de impunitate concionatis. Hoc quidem certe rurſus ſapere eſt. Sed aut valde fallor, aut Donatiſtarum artes tenes: quorum ſaltē ex Auguſtino (nā Optatum nondum legiſſe te ſuſpicor) potuiſti & acta & hiſtoriam colligere. Vtut autem aſtutus ſis, tamen mihi homini tardo videris nimium properare. Citius enim, quàm expedit, tua fortaſſe conſilia detegis. Illud autē ſolum nunc vrgeo: cum indueris perſonā Eccleſiaſtici Antiſtitis, tibi tam facile excidere non debuiſſe, quod antea tam ſcite ſimulabas: miror (inquam) te oblitum eſſe, quid eam potiſſimum perſonam deceat: & vero quid nō modo omnes veteres Epiſcopi, vt eam tuerentur, religioſe fecerūt, ſed & quid in primis fa-

ciundum sibi esse iudicarunt, hoc est, vt à sanguine non minus, quam ab inconstantia, valde & essent, & viderétur alieni. Itaque Optatus respondens Donatistis, qui cum hanc laudem nostris detrahebant, omnia detrahere videbantur, audet inficiari vllum vnquã Catholicæ Ecclesiæ ministrum fecisse, quod illi mentiebantur: neque est quicquam, cur suo ordini magis congratuletur. Certe & Synodus Alexandrina agẽs sui Athanasii causam, non temere gloriata est, eum, quem Arriani mentiebantur esse sanguinarium, nunquam auctorem fuisse, vt quisquam traderetur carnifici, suáq; sacra solius Christi sanguine consecrari voluisse. Atqui non ignoras, quibus aculeis Athanasius vrgeretur, vt Arrianis par pari referret. Vis aliud addam exemplum? Cũ olim ageretur de Basilica tradenda Arrianis, Ambrosius, licet fauore populi subnixus facile potuisset vim vi repellere, tamen ait sese minimè id fecisse: sed imprimis Deum orasse, ne cuius sanguis in Ecclesiæ causa flueret: sibi verò rem fuisse cum quodam aduersario Auxentio Mercurino, *qui* (vt ait) *plenus cruoris, plenus sanguinis, quos non poterat sermone decipere, eos putabat gladio esse feriendos, cruẽtásque leges & ore dictabat & manu scribebat, putans quod lex poßit fidem hominibus imperare*. Qualem hæc Ambrosii verba virũ describant, non ignoras. Magis fortasse te premam, si adiiciam quod

idem Ambrosius scribit in Epistola xxvii. *se abstinuisse ab Episcopis, qui cõmunicabãt cũ aliis, qui quosdam, licet deuios* (vt ait) *à fide, ad necem posce- bant.* Sed vellem eam historiam totam legeres in Sulpitij Seueri historia sacra, ex qua etiam intelliges attonitus, ecquos notet Gallus ille alter, Latinus Pacatus, cum in suo ad Theodosium Panegyrico, declamat in Maximum tyrannum, iis sacerdotibus septum, *qui nominibus* (vt ait) *antistites, reuera autẽ satellites erant: iudiciisque capitalibus astantes, sanguinem reorum appetebant.* Notat, credo, imprimis Itachiũ illum Hispanum antistitem, capitalem in Gallia accusatorem Priscilliani improbissimi hęresiarchæ. Certe Seuerus fatetur eum, cum videret iam reos Iudicibus oblatos, de capite periclitari *& intelligeret* (vt ait) *quam inuidiosum sibi foret, si accusator astitisset postremu rerum capitalium iudiciis, subtraxisse se cognitioni, callido iam scelere perfecto, substitutúmque esse alium accusatorem, fisci patronum.* Audis astutum consilium, quod te non minus callide imitari audio. At non effugit propterea Itachius ignominiam: & Ecclesiæ quoque communione nihilominus priuatum fuisse, ipse etiã Prosper scribit. Quid expalluisti? Percellere magis te deberet, quod Seuerus adiicit de Martino Turonensi, qui cum Ambrosio coniunctus, Itachio sese opponit: nisi huius Martini memoriam contemnere te dicas, cuius ossa & cineres, quibus ipsi quo-

que barbari olim pepercerant, nuper tuus in Gallia plus quam alter Vigilantius rapidis ludibria ventis proiecit. Quicquid porro dixerint, qui tuum, ministerium dicam vel imperium? minime αἰτιώματι accusantes, te vrgent & ad officium reuocant: vt effugias, tanquã obiecto fumo, exclamabis, eos qui te premunt, hæreticis scilicet fauere aut patrocinari. Nam & hoc artificium didicisti ab illo Itachio: quem quidem etiam Seuerus narrat ausum esse Martino nescio quid ei⁹ generis obiicere. Sed (velim) memineris eum ita agendo, nihil egisse: eiúsq; artificij inanẽ & fraudẽ & terrorẽ fuisse. Scimus certe & fatemur lubẽter (ne quid iterum cauilleris) meritò Priscillianum damnatum esse etiam *seculi* (vt ait Hieronymus) *gladio*: quódque Leo Pont. de Priscillianistarum pœna scribit, prolixè laudamus. Sed si eorum tamen accusatio capitalis non decuit Ecclesiæ ministrum, ecquo te vertes, vt cum tua lege, tuóque facto effugias? Nam quod audio te, ô noster Misericors, in quadam ad amasium tuum Vvestphalum responsione, iactare, cum lachrimis deprecatorem ad genua tuorũ Syndicorum procidisse, vt liberares eum, quem iam carnifici tradideras: minime sibi constat. & vereor, ne id ridẽs scripseris: vt risisse te narras, cum audires me deflere tuam in palis defigẽdis, & rogis accendendis, quibus aduersarios tuos torqueas, in-

flammatam vltionis immani cupiditate sæuitiam. Sed neque (credo) ad te pertinere putas, quod Innocentius III. Pont. aliquando rescripsit Episcopo Parisien. vt pro degradato, qui traditur Curię seculari, Ecclesia (vt ait) efficaciter intercedat, vt citra mortis periculũ, circa eũ sentẽtia moderetur. cap. xxvII. de verb. signific. Ergo patiare, vt nunc antiquiori exẽplo ex Gallia repetito admonearis tui officij, præsertim cum illud exemplum sit, quod ipsa etiam Ecclesia Leodiẽsis multo post, dico ante annos cccccl. ausa est obiicere ipsi Paschali Pont. Fortasse ex eius tẽporis annalibus Francorum, adiungerem exẽplum boni illius Episcopi, qui paucis post annis, in quadam Synodo Rhemensi, cũ hæreticũ quẽdã Henricum refellisset, inclusum seruauit. Sed vereor, ne si legeris Epiphaniũ, opponas antiquius exẽplũ Archelaï cuiusdã in Mesopotamia Episcopi, quod imitari malis: laudésve illam (scis quam dico) Nestorii Constantinopolitani Antistitis ad Theodosium concionẽ plus quam militarẽ. certe vt tu risisse te significas, cùm priorem nostram admonitionem legisti, quã Nestoream vocas ludibrii causa: sic serio multi ingemuerunt, cùm Nestorianũ nescio quod classicum cecinisse te audierunt: optarúntque tamen, vt Nestor potius fias, tibi non accidere, quod accidit Nestorio. Interea, vt iterum occurram tuis cauillis, & semel præci-

dã, quod hîc soles prætexere: iterum tibi confirmo, vehementer optare me, vt ii quos non tam error aliquis, quàm mala mẽs, malus animus præcipites agit, seuerissime puniantur: quique cum hæresi aut perduellionis aut alterius facinoris crimen (vt fit) coniungunt, meritas dent pœnas: & improbi atque scelerati impostores, qui non tam falluntur quàm fallunt, falsóque nomine religionis fictæ, Rempub. malitiose perturbant, vt rem suam agãt, extremo supplicio coerceantur. Et quo tandẽ satis supplicio expiari tale scelus posset? atque vtinam iampridem tales pœnas dedissent tales (vtar verbo tuo) nebulones. Nos iam non deploraremus Reip. vastitatem, neque tu eius ruinis insultares. Ergo nihil est quod magis optem, quã multis eius generis grassantibus, supplicia, vt lex ait, exacerbari. Sed cum id in gratiam quoque tuam dico, vide, num satis agam causam tuam. Quid autẽ, si de aliis pronunciãdum sit, personã tuam deceat, iterum non dicam, quia dubitare incipio, quam geras personam. Interea vero peto, mihi vt ignoscas, si simplicis erroris, cuius quãtavis sit, expertus sum, statim esse non possim vindex capitalis, & mihi in mentem sæpe veniat illud Augustini aduersus epistolam Manichæorũ proëmium, quo tuam seuitiam nondum repressam esse miror. Sed fallor. Nam nuper visus es mirabiliter mollis atque placabilis, cum

tibi(vt audio)placuit in alieno Regno libertas siue licentia religionum,& repente quam Hilarij ad Constantium ea de re orationem olim damnaras, abs tuis deinde laudari non moleste tulisti.Imo vero malum exemplũ nescio quod allegari non noluisti,vt tuę factioni concederetur, quod aliquãdo Arrianis cõcessum fuisse dicitur:supprimi verò voluisti quod vel Ambrosius aduersus Iustinam,vel Chrysostomus aduersus Gaïnam in ea causa fortiter fecit. Caute. sed noua hæc licentia quomodo conueniat cum illa tua priori,de qua dixi, lege,videris. Certe nimis horrida esse visa est excusatio eorum,qui aiunt illam libertatẽ tibi ad tempus astute placuisse,hoc est,donec viribus auctus & potentior factus,posses exterminare partem aduersariam. Hic qualis, quantúsque sese mihi aperiat campus,si in te incurrere velim,vides vir magne. Sed non moleste fero,te aliquid de tua ferocia,vel ad tempus, remisisse videri,si etiamnum perstas in sentẽtia largiendæ libertatis licentiosæ. Cæterum obtestor omnes sapientes, vt cõsiderent,quale sit hoc totum artificium religionis transformandæ atque inflectendæ: considerent, qua eam conscientia,tanquam Lesbiam regulam, ad ambitiosa & profana consilia accommodes:considerẽt,ecquid religionis sit in homine ita ludente & religionis titulum ad suas cupiditates tam varie referente.Si hîc cæca nũc

es ô Gallia? at tu ſapientior poſteritas liquidò perſpicies, quid nunc agatur, quid ſimuletur. Nihil nunc me vis diſſimulare generoſiſſime Ioannes? Tibi obtemperabo, & quod, te veluti ſuggerente, mihi in mētem venit, obiter recitabo. Ex multis, qui iſtinc prodierunt ſine auctoris inſcriptione, famoſis factioſiſque libellis, vnus in manus meas nuper incidit, qui reliquis neruoſior, minúsque ineptus eſſe viſus eſt, & propterea tuus magis eſſe videbatur. Is dicturus de ratione ſedandorum (vt titulus pollicetur) in Gallia tumultuum, & eo nomine petēs, quam dixi, libertatem, quaſi omniū tumultuum, non ſeminariū, ſed euerriculum: ne videatur ſine ratione inſanire, laudat vetus exemplum Antiochenorum (vt vocat) fideliū, qui Euſtatiani appellati ſunt, & ſeparatos habuerunt ſuos cœtus. Ego vero miratus ſum talem eorum ſeparationem nunc laudari, cum quidem meminiſſem eam erupiſſe in ſchiſma minime laudabile, quod annis plus quā octoginta magnas in Eccleſia Antiochena turbas dedit. Miratus etiā ſum, te potius Ioannitarū (vt appellabátur) Cōſtātinopolitanorū ſeceſſionē nō laudaſſe, quę lōge fuit religioſior, & ſtatim atq; Attic⁹ Chryſoſtomi memoriā laudādo, fecit officiū ſuū, ad Eccleſiæ cōmunionem rediit, atque ei reconciliata eſt. An tuam optime Ioannes, factionem fore in recōciliatione difficiliorem, diſſimulare noluiſti? An

Eustatianis illis similiorem esse gloriari voluisti? Eustatio orthodoxo Episcopo iniuste pulso, cum Eudoxius Arrianus, Ecclesiæ gubernationem inuasisset: huius (credo) communionem defugere, catholicis (vt vocabantur) licuit, vt & separatim conuenirēt, & Paulinum Eustatii Presbyterum potius audirent. Sed cū Eudoxio successisset Meletius orthodoxus, qui Arrianos, etsi ab his ordinatus diceretur, refellebat: an Eustatianis licuit nihilominus secedere? Secesserunt tamen. adeo difficile est reuocare distractos. Atq; hoc illud est, quod nunc metuūt omnes boni & sapientes. Cum ab Arrianis propter doctrinam orthodoxam Meletius abdicatus esset, substituto Euzoio Arriano: huius iterū communionem merito refugerunt tam ii qui Paulinum, quàm qui Meletiū sequebantur. Sed quis non miretur ne tum quidem, mortuo præsertim Eustatio, illos siue Eustatianos siue Paulinianos cum Meletianis communicare voluisse? Sed & cum restitutus esset Meletius, & officiū suum magis atque magis recte faceret, ipsúmque Basilium haberet Diaconum, nondum Paulinus cum suis ad Ecclesiæ communionē redire voluit. Imo vero contra patitur sese à quibusdam creari Episcopum: quasi Meletius legitimus non fuisset Episcopus, & vitio esset creatus, quia diceretur ab Arrianis aliquando ordinatus: & interea tamen non dubitat Pau-

linus ordinari abs Lucifero,homine minime sanæ doctrinæ,ita quidem, vt & ipsi Eusebio, qui alioqui cum Lucifero illo coniunctus fuerat, displicuerit hæc Paulini ordinatio. De personis alioqui,hoc est, de Meletio & Paulino,nunc non disputo.Habuit vterque suos & laudatores & reprehensores: tametsi à pluribus & Paulinus reprehendatur,& laudetur Meletius.Sed dico exemplum huius schismatis laudari non debere.Quid? Meletius pacis redimendæ causa benigne obtulit Paulino societatem Episcopatus Antiocheni, ea lege,vt altero mortuo alter superstes in solidum Episcopus maneret. Ne eam quidem conditioné accipere voluit Paulinus: maluitque etiã aduersus Edictum Gratiani Imp.habere separatos suos cœtus. Quid reliquam tibi historiam narrarem,in qua videmus tristissimam turbarum excitandarum, impediendæque reconciliationis causam fuisse, quum tu nunc ais esse rationem tumultuum sedandorum? Hoc ego tuum exemplum, velim, diligentius consideres,& ab aliis, lógius prospicientibus multa,propius considerari meminisses.Interea te obtestor, vt vnitatis potius quàm (Pauli verbo vtar) διχοστασίας suasor auctórque esse velis.Vnitatem dico & pacem Christianã, quæ Ecclesiæ reformationem cõsequi potest. Scis (credo) ipsam olim Christi Ecclesiam fuisse appellatam Vnitatem ab ipsis quoque schis-

maticis: scis quantopere τὴν ἑνότητα commendent Christianæ literæ. Frustra autem & inepte obiicis exceptionem quandam Hilarii. Nam (vt iterum dicam) non aliam aut pacem aut vnitatem quærimus, quam quæ Christi sit, neque eā alia cōditione quærimus. Ne vero fallax aliquod Zenonis Imp. ἑνωτικὸν (vt dicebatur potius quàm erat) excudas, saltē cogita quis illius finis fuerit. Non est meum præscribere, qui fieri, si velis, possit, quòd suspirās optat orbis Christianus. Nil fieri tamen facilius potest, si modo & tibi & omnibus antistitibus serio placeat illud Ioannis, *Oportet Christum crescere, me autem minui.* Nam & homines nunc multis miseriis molestiísque veluti subacti, & dissensionum fluctibus contusi, fracti, fatigati, fortasse nō recusabunt quam antea conditionem transactionis recusasse dicuntur. Equidem testor cœlum & terrā, non modo lentam atque ignauam negligentiam, & in summo Reipub. periculo nimium securam, supinam, oscitantem incuriam, sed & latam, dolóque proximam culpam eorum & fuisse & esse, qui legitimam, piam, Christianā Ecclesiæ Reformationem suscipere, vrgeréq; debebant noctésque diésque. Improbus impudénsque es, si fingas me iis assentari, quos, vt à pueris feci, nunc quoque accuso: & qua possum voce (non enim aliud possum) multorum propterea criminum reos esse clamo. Certe

etiam tibi assentiar atque subscribam eos acerrime accusanti:neque dubito,quin pœnas daturi sint: tantúmque abest, vt crimen eleuem, vt portentum esse existimem,si cùm ipsum dolore cælum sudet, ipsa terra gemat & fathiscat,antistites Christiani hac cura non tangátur,moueantur, afficiantur. Ergo iterum testor cælum & terram, etiam tonitruo & fulmine excitandos esse, si qui ad clauum sedēt, nunc stertant : neque si perire velint, cum iis perire vellem. Per me etiam licet, vt eorũ fastum alio fastu calces. Sed illud nũc quæritur, cum illos prçcipites dederis,ecquo aspires? & vbi omnia euerteris,quid molieris? Quçritur, (inquam) an non iustius, atque vtilius Reip. sit, Ecclesiam in integrum restitui, quàm rebus euersis te attolli? Te cum dico,eum quoque dico, qui res tuas procurat, bona vtinam fide. Scio,vt nobis eripias metum nouæ seruitutis,clamas, minime te esse ambitiosum : & admirabilem tuam modestiam atque simplicitatem prædicas.Caute. Nisi enim sic loquereris,non falleres.Sed an rursus tam cæcos & oculis captos esse putas Gallos omnes, vt nemo videat tiaram illam triplicem, illam dico quam sordido pileo tegis & occulis,vt auriculas asini rex Midas : sed quam nouo nunc bello elatus nimium ostẽtasti, vt & citius fortasse quàm expediebat, cornua intendisti atque exeruisti:nisi si tui Legati culpam esse respon

deas. Ridiculum saltem ludibrium est, quod cum tam multi passim tui collegæ (vbi vbi audent te absente) conquerantur de tua intolerabili arrogantia & incredibili fastu: & res loquatur ipsa, quam etiam procul extra tuum territorium, finésque tuæ diœceseos, de omnibus quiduis statuas extraordinario quodam Imperio, & abdices quotquot nõ prodierint ex sinu tuo, neque quenquam feras, qui non, & in verba tua iuret, & reformidet tuam ferulam: tamẽ iactes te nulli non cedere, & mihi dira miniteris, quia verecunde significarim te nullum ferre collegã, Si dixissem, tibi eo loco esse collegas, quo erat Bibulus Cæsari Consuli: id honoris tui causa dictum videri posset. Ipse Caligula suum equum aliquando sibi col legam asciuit. Nolim dicere, te nõ multo pluris facere tuos. Nam & vnum aut alterũ nunc video, qui id minime iam paterentur, quíque tibi semper, ni caueris, cessuri non sunt. Sed multi audiunt, quod iampridem audiui, te mirifice tibi placere, cum de te præcones quidam tui, qui alios omnes præ te contemnunt & floccifaciunt, accinunt veterem versiculum, *Ille vir est solus: volitant alij, sicut vmbræ.* quod quidem ex Homero repetitum, de Scipione quoque dictum fuit: vt ab ea laude minus abhorreat modestia tua. Cũque is etiã Scipio non minus quàm Socrates dictus sit *εἴρων*, sæpe audiui honoris causa, tibi eun-

gne tuleris: eíque Ecclesiā seruiliter subiectā esse, in dignissimū esse clamitaris, voluisti videri fugere quod captas. Sed neminē ne senti re putas, te sibi arrogare quod aliis detrahis? Alterum Eliam esse te, quia vt ille aliquando sacerdotes Baaliticos mactauit, tu tali scilicet exemplo legē tuleris in eo genere multo terribiliorem, iampridem audio. Lutherum, cuius altitudo tuis luminibus officit, de suo solio vt deiicias, quid non facis, ex quo tempore mortuus ille est? nam viuentem attingere non audebas. Quid superest, quàm vt Eliæ currum conscendas, & supra nubes te attollas? Vis loquar humilius, & te moneā familiarius? Vix quisquam nunc tam simplex est, qui non suspicetur quò aspires, quid affectes, cum audiunt, quam valde oderis & fulminando abigas suasores alicuius bene temperatæ reformationis Christianæque vnitatis: quos vocas Mediatores, quia odiosissimum verbum esse putas. Nempe capitales tuæ factionis hostes esse iudicas, quicunque rebus in ordinem redactis efficerent, tuis vt extraordinariis cōcionibus nullus locus relinqueretur: & via ad illud nouum, quod affectas, Imperium, obstrueretur. Saltem audis multos iampridem queri, insolentiam esse intolerabilem, quod nouas tuas siue ceremonias spectari, siue formulas sonare solas velis in Ecclesia vniuersa: quod alias & veteres omnes expungas, & veluti vna litu-

ra deleas:quod etiam,si quid forte in Germania vel Anglia retētum sit ex antiquitate religiosa,sordes & maculas esse clamites, & quicquid illud est,contumeliose conspuas. Si neges:magnum & patentem mihi aperies campum dicendi. Sed non longe abiero, & te tuo gladio iugulabo. Tu iam sæpe mihi Bucerum laudas. Recte. Scis quàm ille Hermanno Archiepiscopo Coloniēsi præscripsit formulam Reformationis,& Angli imitati sunt. Si nunc ad eam te reuocarem, quibus me sannis excipere? Nam & si literis consignatis aliquando cōfessus sis,nō ignorare te quàm sit Bucerismus tolerabilior Caluinismo: tamen cum ad rem vētum est, longe aliter sentire te ostēdis. Longum esset, singula,quæ inter vos dissimilia fuerunt,persequi. Sed visne,in ipsis statim principiis atque adeo in leuioribus,(nam grauiora attingere non est meum) vt ostendam, an aliqua sit tua ab omnibus dissentiens morositas? Equidem inuitus id faciam. Verum tu me non sinis omnia dissimulare. Memini te in priori tuo contra me vel potius Cassandrū libello famoso, nobis obiicere nescio quod barbarum (vt ais) *Abruncio*, quod in Baptismo inculcari narras. Hîc quid tibi velis,vix intelligo. Sed ne hominem in Latina lingua politū & prope Ciceronianum, minus offendat Ecclesiasticum hoc & vetus, (eo licet Cicero in tali significatione non sit vsus) verbū *Renuncio*
siue

siue *Abrenuncio*: obiter dicam, Romanos saltē Iurisconsultos eo etiam vti. Sæpe enim dicūt Renunciare sponsalibus vel nuptiis, cum de repudio vel diuortio loquuntur. Vnde in Pandectis, Renunciata affinitas: imo Renunciatio simpliciter dicitur de repudio. Probabile est autem veteres Christianos, cum Diabolo, cui veluti naturaliter addicti sumus, in Baptismo profiterētur se renunciare, allusisse ad formulam alicuius repudii. Tertullianus tamen, quod vno loco dixit Renūciare, alio vocat, Eierare vel eiurare. Bucerana formula nō modo id ex antiquitate retineri vult, sed & veteres cum abrenunciatione formulas stipulationum atque sponsionum. Tu vero has omnes deles, vt ineptas & fatuas & nugatorias. Negabis esse veteris Ecclesiæ? Etsi fortasse iure neges nos esse (vt loqueris) antiquarios: tamen quantulumcúmque est, quod notaui de Antiquitatibus Ecclesiasticis, satis súpérque est, vt tibi nunc satisfaciam. Scio suauiter te risurum esse & vehementer miraturum, me meminisse istarum (vt loqueris) næniarum: sed tantomagis, vt te oblectem, iuuat meminisse. Ac primum quidem, non dignaretur Celsitudo tua negare iam temporibus Apostolorū aliquas fuisse interrogationes & sponsiones, cum adulti baptisabantur. Nam & Philippus Eunuchum baptisandum interrogat de sua fide & religione. Grauiter autem dis-

putat Auguſtinus non eſſe ſatis ſuo tempore, ſi illud tantũ quod Philippo Eunuchus olim reſpondit, reſpõdeatur: ſed cætera etiam adiicienda eſſe, quæ Eccleſiaſtico more abs baptiſandis interrogãtur. Tertullianus doctiſſimus & antiquiſsimus ſcriptor Eccleſiaſticus, diſputans aduerſus eos, qui admittũt nihil, quod literis ſacris non ſit expreſſum: & contendens obſeruationes quaſdam Eccleſiaſticas eſſe, & traditiones non ſcriptas, quæ repudiari non poſſint: proponit earum exempla, de quibus nullam fore quæſtionem iudicat. *Vt* (inquit) *à baptiſmate ingrediar, Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquãto prius in Eccleſia, ſub antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo, & pompæ & Angelis eius*. Illáſque põpas, quibus renunciatur, dicit eſſe officia ſeculi, honores, ſolennitates poſtulatrices, falſa vota, laudes vanas, glorias turpes. An quia his renunciare nondũm fortaſſe potes, ferre non potes veterem hanc formulam? Sane Baſilius, qui in eadẽ, in qua Tertullianus, diſputatione eandẽ formulam laudat, & apud Græcos, vt apud Latinos vſitatã fuiſſe oſtendit, & vt refellat eos, qui nulla lege niſi ſcripta, teneri ſe aiunt, ſcripturámque perpetuo requirunt in omnibus Eccleſiæ formulis, opponit myſteria, & nominatim iſtud in Baptiſmo ἀποτάσσεσθαι τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. Sed & eodẽ tẽpore Ambroſius explicans quod Paulus de baptiſmo ſcribit ca. 11. ad Col.

Hæc(inquit)*commonet, vt perseuerent in abrenunciatione pompæ & præstigiarum Satanæ.* Non est dubium, quin alludat ad illam abrenũciationis formulam, de qua loquor: quam quidem laudat,quasi iam tẽpore Pauli ea in vsu esset. Idem,hinc Christianos potissimum vrget ad officium,*Repete*(inquit)*quid interrogatus sis: recognosce quid responderis. Renunciasti Diabolo & operibus eius,mundo & luxuriæ eius,ac voluptatibus.* Sic & Augustinus lib. 1.de Symbolo,*Vos* (inquit)*professi estis,renũciare Deabolo,pompis & Angelis eius.* Omitto quod inde sæpe aduersus Pelagianos argumentum repetit.Nam neque dubito te huius antiquitatis monumenta legisse: sed tanto miror magis, te eius memoriam magis non colere. Cum illa, quam dixi, Renunciatione,coniuncta semper fuit solennis ex formula Symboli, professio fidei, sicuti & Tertullianus,*Aquam*(inquit)*ingressi,Christianam fidem,in legis suæ verba profitemur.*Hanc fortasse professionem retinere te dices. Sed cur stipulationem sustulisti? Hieronymus aduersus Luciferianos, defendens multas Christianorum veterum obseruationes, quæ alioqui scriptæ non sunt: *Solenne est* (inquit) *in lauacro post Trinitatis confeßionem interrogare, Credis sanctam Ecclesiam?Credis remißionẽ peccatorũ?* Quid? Ne Nouatiani quidem olim ausi sunt huius generis formulam mutare, cum peculiarem in suo cœtu baptismum instituerent. Itaque

Cyprianus. *Si aliquis*(inquit)*opponit, Nouatianũ vsurpare potestatem baptisandi posse, quod videatur in interrogatione Baptismi à nobis nõ discrepare: sciat primum, nõ esse vnam nobis & schismaticis Symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cum dicunt, Credis remissionem peccatorum, & vitam aeternam per sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, cum non habeant Ecclesiam, &c.* Idem suo testimonio rursus cõfirmat morem Ecclesiæ, *Ipsa* (inquit) *interrogatio, quæ fit in baptismo, testis est veritatis. Nã cũ dicimus, Credis in vitã æternã & remissionẽ peccatorũ? intelligimus remissionẽ peccatorũ, nõ nisi in Ecclesia dari.* Obiicies, interrogationes & spõsiones, de quib⁹ locut⁹ sum, pertinere ad Baptismũ adultorũ; ineptas vero esse in Baptismo infantũ: & ineptius adhiberi spõsores siue fideiussores, siue expromissores, quos patrimos vocãt. Sed neque nouũ, neq; insolẽs illud esse, vir doctissime, poterat te vel vnus docere Augustinus. Is vt refellat Pelagianos negantes vllum esse puerorum peccatum originale, vrget ipsam Baptismi formulam, quasi legem Apostolicam, quam Pelagiani recusare non ausint, Ait, *nullum puerum baptisari, quin aliquis adsit respondens pro paruulo, quem gestat, & eius nomine renuncians Diabolo, & profitens se credere in remissionem peccatorum.* Hoc (inquam) argumentum, hinc, tanquam ex confesso, repetit Augustinus, neque Pelagiani audẽt negare illud fieri recte, quod factum veluti pro iu-

re opponit. Ergo cùm illam formulam tollis, tollis materiam huius argumenti. Idem Augustinus contra Iulianum, *Recole* (inquit) *quemadmodum in Ecclesia Christi baptismatis mysteria celebrentur, & inuenies, quod abrenuncient & paruuli per ora gestantium, sicuti per ora gestantium credũt.* Idẽ rursus lib. II. de Anima. *Mysterium* (inquit) *credulitatis in paruulis per eorum responsionẽ, à quibus gestantur, impletur.* Accedat quod hac de re scribit in Epist. XXIII. Quid indignaris, si homines religiosos, miniméque ineptos delectat veteris Ecclesiæ, Maiorúmque suorum memoria, vbi vbi nihil est, quod necessariò deleant? Equidem scio non hoc primum tempore fuisse, qui quam dixi veterum obseruationem irriderent. Nam Dionysius & antiquus & grauis profectò testis, iam suo tempore tales fuisse significat. Sed id in hominibus profanis mirari nos nõ debere admonet. Non potes profectò illum Dionysiũ, qualis hic nuper excusus est, legere (si eum legere dignaris) quin ceremoniarum, quas abrogasti, antiquitate premi te sentias. Quid si ex eo recitarem nunc aliquid de exorcismo? An tuo more cęlum & terram adiurabis, nouum in eo & ineptũ esse ludum, qui veteri Ecclesiæ fuerit ignotus? Atqui licet Græcos testes nõ audias, Afri illi, Cyprianus, Optatus, Augustinus, te obtundent. Quid si addam, Bucero tuo quoque placuisse illum in Baptismo retineri, idque cum in sua formula

mandasse?Non est meum definire,quid in mysteriis vel sit,vel non sit necessarium.Sed ne in ipsis quidem Initiis conuenire te cũ iis, quorum consensum mihi opponis, liquidius ostẽderem, si recitarem ,quam valdè repudies illas veteris Ecclesiæ iam inde à tempore Tertulliani leges de Baptismo minus solenni,sed vt iudicabãt,necessario:quas tamen leges Germania & Anglia etiamnum colit & obseruat. Cæterum si tibi narrem,quam Augustinus ad Fortunatum hac de re historiã narrat,vereor, ne qua ille ait suos ad lachrymas commotos esse,tu ad profanum risum cõmouearis. Age, ecquid tibi rursus placet,quod ex Buceri quoque iudicio, Angli in Baptismo præscribunt esse obseruandum,vt pueri frons figura crucis consignetur?Quam valde rursus istud irrideas,non nescio. Sed vt verecũdius id facias, cogita quos ea in re viros irrideas. Qualiscũq; sane sit hic ritus,didici esse antiquissimum,& vt rursus tibi verecunde confirmem me antiquitatis esse studiosum,&,quod antea improbe obiecisti,nunquã me vllas ceremonias curasse,vtcunque refellam: non dissimulo me legisse,quam eum ritum religiose tueatur Basilius in libro de Spiritu sancto:cum quidem significet tam eo tempore receptum fuisse , vt non existimet quenquam tam esse audacem, qui eũ fastidiat.Sed & Cyprianus,qui est antiquior,ait, *Eos qui in Eccl.sia baptisantur signaculo*

Dominico consummari. Et Tertullianus, qui rursus senior est, non modo hunc ritum laudat, sed & ex eo repetit argumentum in disputatione de Resurrectione carnis: *Caro* (inquit) *abluitur, vt anima emaculetur. Caro signatur, vt & anima muniatur.* Quid si adiicerem, quod gloriatur, & iis qui obseruationē in Ecclesia nullam, nisi Apostolorum manu consignatā, admittunt, obiicit, Christianos assidue frontem crucis signaculo terere? Equidem superstitionem & ineptias etiam odi natura: sed vereor, ne frontis non tam integræ, quam perfrictæ, vel potius ferreæ sit, tam scurrili naso suspendere vetera insignia moris alicuius Christiani. Scilicet valde lepidi facetique nunc sunt, qui quod ad fugandos dæmonas pertinere dixit religiosa Antiquitas, non nisi ad muscas abigēdas pertinere aiunt. An etiā cum has nominant, significare se nescio quid de Beelzebub ridendo adiiciēt? Equidē sannas & (vt vocas) ronchos non reformido: sed tamen ne irrisores magis iritentur, vix recitare audeo, quod (vt alios omittam,) Ambrosius & Augustinus (qui profecto reuerentia non irrisione digni sunt) recitant de eo (vt vocant) signaculo: hoc est, de consignatione crucis: quam si dixero iam inde abs temporibus Cypriani, Baptismo accessisse, vt esset, quod temporibus Apostolorum erat manuum impositio: rogo (nam doceri cupio) num de veteri ceremonia loquar

imperite? Equidem audio, clamitare te, qualiſcunque & cuiuſque tandem ea ſit, eſſe intolerabilem. Sed, vbi id probaueris, vide, cũ quibus tibi res ſit: neq; me iis ſubſtituas. Tu etiã, neſcio quo iure, mihi contumelioſe in priori tuo libello ſæpius obiecisti Chriſma: quod tamẽ in tuo non minus quàm in meo baptiſmo adhibitũ fuiſſe puto. Sed ſi nunc eo nõ vteris, quid ad me? Cur (inquam) de Chriſmate mecum litigas tam non Chriſtiane? Age cum Geminiano: age cum Dionyſio, qui id prędicat: age cũ Tertulliano, Cypriano, Baſilio, Optato, Auguſtino: hoc eſt, cum vniuerſa Eccleſia veteri, quæ huius ceremoniæ abrogatæ reum te facit. Neſcio an legeris quod de Nouatianorum baptiſmo loquens Theodoritus ait: *Τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα· καὶ τοὺς ἐκ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν.* En cum quibus tibi certandum ſit, ſi hac de re contendere velis. ſed tu me, baptiſmo relicto, iam ſæpius ad Miſſam reuocas: & in ea rurſus tuos mihi *συμμάχους* opponis. Verum cum, in quo conſiſtas, nullus quęſtionis ſtatus ſit, & in infinito vageris, quid dicam? Apage cum illa tua putida calumnia fallaciáque, nos iis ſeruire, qui defendãt *τὸ βδέλυγμα*. Suſpiciones, quas & improbe confingis & odioſe ſpargis, vel illud Caſſianum *Cui bono*, facile diluet, ſi mea ſit nota & conditio & libertas. Et quid tandem

mea priuatim intereſt, ſiue ſtet, ſiue ruat quod oppugnas? Sed rurſus fallis, cum mentiris ſocios hîc tibi eſſe, quos laudas. Sane confeſsio illa Auguſtana, quam interdum ſimulas tibi non diſplicere, profitetur retinendam eſſe aliquam miſſam. Noli mi vir cohorreſcere. Sic enim tuus in ea Confeſſione Philippus loquitur. An tu illám Luteranam Liturgiam retines? An retines quicquam, in eo genere, Maiorum noſtrorum, quos ante barbariẽ fuiſſe bonos negare non potes? Ex veteribus & ceremoniis & formulis liturgicis ſaltem aliquid retinet Anglicana, quæ Bucerana eſt, liturgia. Qui fit, vt tu tantillum non ſeruaueris? An tu primæ ſimplicitatis formam nudam ſolum amplecti te poſſe dices? Atqui cum tuus Ioannes Laſcus magis, quàm tu, ad illius (vt vocas) ſimplicitatis prima lineamẽta diceretur ſuam liturgiam reuocaſſe: tu ne eam quidem ferre potuiſti. Si tibi nihil, niſi quod ipſe facis, placet: cur mihi tuum cum aliis conſenſum obiicis? Cum ad rem tuam pertinere putas, nõ dubitas laudare, vetus illud *Surſum corda*. Atqui id etiam expunxiſti in tuis ſacris: quod facere non eſt auſus in ſua formula Bucerus, neque Angli auſi ſunt: cum cogitarent, quid alioqui vel ipſi Cypriano, vel etiã Chryſoſtomo reſponderent, magnifice prædicantibus illã Eccleſiæ Apoſtolicæ in ſacris cohortationem.

Ipſe Optatus, cum narrat veterem legiti-

múmque morem fuisse, vt in sacramentorum mysterio sacerdotes dicerēt se offerre pro Ecclesia in toto orbe diffusa, testatur ne ipsos quidem schismaticos Donatistas ausos esse, quod tamen cupiuissent, id silentio prætermittere. Vide tu, quid responsurus sis viris bonis, qui antiquorum in Ecclesia rituum optimorum, precumque solennium obliuisci non possunt, dolentque nunc veteris Ecclesiæ tanquam Iudaicæ Synagogæ, aut pagani alicuius delubri memoriam sempiterna obliuione sepeliri. Ipsi Apostoli, etsi necessario abrogarēt ceremonias Mosaicas: tamen bono consilio ex Synagoga ad Ecclesiam transtulerunt multos, qui vtiles erant, ritus: multas Iudæorum formulas retinuerunt, quibus etiam Christiani vterentur, & vti per suam religionem recte poterant. Et tu nullam in antiquis formulis actionum Ecclesiasticarum reperisti, qua vti digneris, vt tantillum deferres & antiquitati & studio pacis atque vnitatis? Vereor ne hic aliquis irrideat formularium leguleium, & opponat legem de formulis sublatis. Sed cur tu tam delectaris extraordinariis actionibus? Lex illa cum formulis sustulit etiam impetrationem. Quis iste est Prætor peregrinus, qui vult abs se imperrari formulas rerum in Ecclesia agendarum? quíque quas semel dictauit dedítque, tam stricti iuris esse vult, vt ex fide bona ne apicem quidem in iis vllum prętereri

patiatur? Sane cũ amici tui te verecunde monerent, multos mirari, quod in noua tua precandi formula pręscripsisti, posse Christianos melius fœdus, quàm illud sit, quod cum Abrahamo ictum fuit, allegare: & vt ambiguum & captiosum verbũ tolleres, te rogarent, ne quis diuersa esse hæc fœdera periculose putaret: tu seditiosos esse hos monitores tumultuose exclamasti, qui vel vnum apicem deleri in tuis libellis vellent. Nempe, si vel vna syllaba cadimus, cum tu aliquid dictasti, causa tota cadimus. Et tu interea non modo Dictator in vniuersa Ecclesia, sed etiam Cancellarius eris? Delebis (inquam) & cãcellabis impune quicquid tibi non arridet, tametsi quippiam sit, quod & antiquitas recte prescripsit, & hoc tempore ii etiã obseruare nõ recusant, quibus te subscribere fingis? Equidẽ interdũ dubito, inscitiane, an arrogantia, an potius vtraque fiat, vt non discernant tui, quid in ritibus Ecclesiasticis antiquũ, quid nouũ, quid integrũ, quid vitiosum sit: vt potius confuse omnia inducant & expungant: vt damnent omnia. Sed magis miror istinc prodire scurriles libellos, qui ad ludibrium nominis Christiani ausint Numę Pompilio ascribere multa veterũ Christianorum religiosa instituta. Noli (quod soles) nunc mihi barbaræ posteritatis vitia obiicere, quæ ego, non minus quam tu, reprehendo. Noli bona cum malis odiose miscere. Imo

vero memineris, quod Cicero ait, *Esse iniquam in omni re accusanda, prætermissis bonis malorum enumerationem, vitiorúmque selectionem*. Dicerem te tam lituras amare in Ecclesia, quàm odisti omnes omnium, præterquam tuarum, imaginum lineas. Sed cum aliquid substituisti, ne literam quidem vnam in eo mutari pateris. Denique mirarer, te veteris quoque Ecclesiæ cantum, vt nouam tuam musicam subrogares, sustulisse. Sed hanc mutationem magni ad rem tuam esse momenti, ex ipso quoq; Platone discere potuisti. Cæterum cum hæc principia tuæ Reformationis significarent te & ab aliis dissentire, & peculiaré aliquam sectá meditari, in qua solus emineas (quod quidem nos pueri minime olim vidimus, sed viderunt viri prudentiores) tu deinde eo progressus es, vt de eo quod ambis nemo dubitaret. Sed id postea fortasse viderimus, si nos cogas ea quoque de re dicere. Non enim nisi coactus meminero. Neque iam meminissem earum, de quibus breuiter dixi, ceremoniarum, nisi si libellus tuus me lacessendo & Buceri consensum atque societatem iactando, coegisset. Sic & cum Philippum præterea mihi opponis, adiges me, vt dicá, quod dicturus alioqui non eram. Vt te collaudes, & me percellas, Melanthonem accersis, cuius ais vnam vocem posse obruere omnes meos (vt pro canina tua facundia suauiter loqui soles) latratus.

Quoſnã ó Moloſſe? prope dixi Cerbere: & tu qui me ſubinde canem vocas, dignus eras, qui id audires. Si autem vel catulus eſſem, mutũ fortaſſe hylacten non eſſe ſentirent ſacrilegi. Verum me & cedente & tacente, cur Philippum aduocas, præſertim mortuum? Vtinam illum, quem appellas teſtem, iudicem nũc haberemus: tametſi idonei teſtes non deſint, quàm ille poſtremis vitæ ſuæ annis, quibus eũ vidimus & audiuimus, conquereretur de tua præfracta (vt molliſſime loquebatur) moroſitate: quámque miraretur te nihil tẽperanter agere, ſemper tumultuari, nunquam quieſcere. Neque vero ignoras, quàm ille eſſet συμβιβαστικὸς, quámque remittere multa vellet, pacis cauſa: denique quàm odiſſet ingenia non dicã Calua aut Domitiana, ſed ἐριστικὰ καὶ αὐθάδη. Verum callide ſcilicet illud diſſimulas, quod è re tua non eſſe putas, vt Gallia ſciat: & quem imitari minime velles, quíque mores tuos minime ferebat, eius ſocietate me oppugnas. Eum ego vidi & conueni in cõuentu Vormacienſi, anno M.D.L V I I. Quid mihi dixerit, narrẽt alij. Quid autem reſponderit tuo ſiue Legato, ſiue Apoſtolo, de turbis Gallicis iam tum gliſcentibus agenti, multi qui aderãt, ſciunt. Venit eo & ipſe Caſſander. Exceptus eſt, vt homo doctiſſimus atque modeſtiſſimus ab homine modeſtiſſimo atq; doctiſſimo. Audita ſunt bona conſilia. Placuerunt bonis, quod reſci-

re vel ex tuo, qui aderat, librario potuisti. Quid dicam? illa fuisse comitia, in quibus aliquod priuilegium de tua intemperantia irrogatũ sit? Quid diceret, si nunc viueret, & quæ gesta tuo Imperio ad hũc vsque diem in perturbanda Gallia sunt, vel geruntur, audiret? Porro cum ex eo (vt scis) cõuentu amicissime scripsisset ad Castalionem, & eius sententiam nescio quã de prædestinatione & libero arbitrio, suã esse significaret: scire potuisti & quã dãnaret tuam in eo viro vexando intemperiẽ, & quã ne tum quidẽ probaret omnia tua parodoxa. Nũc, cuius est ingenuitatis, Castalionem tanquam Satanam alterum, diris omnibus propterea deuouere: & nihilominus Melanthonem, tanquam Angelum, adorare? An non illud est, quod Bucerus dicebat, *te iudicare prout amas, vel odisti: amare autem vel odisse, prout libet?* Equidem arcanam illam περὶ ἀνάγκης quæstionem non excutio, neque Castalionem (ne iterum fingas me eius causam agere) vnquam vel vidi vel audiui: ac ne per literas quidẽ vnquam sum allocutus (tametsi tuo more mentiaris, me cum eo arctissimum fœdus iniisse) neque quod de ea quæstione scripsit (nam & id supprimi pro tuo imperio iussisti) vnquam legi: neque quod de fatali necessitate disputas, satis intelligo, & in meis ad Minuciũ annotationibus nuper non dissimulaui mihi nõ liquere. Sed vt omnes sciant, ecquid etiã olim,

hoc est, ante annos prope viginti, familiariter, tibi hac de re responderit ille, quem iactas suffragatorem laudatorémque esse tuum, Melanthon, cum quidem tu illi blanditus etiam librũ de Seruitute humani arbitrij dedicasses, & ἀντίδωρον expectares: age, bona tua gratia liceat exei⁹ ad te priuata epistola (cuius exẽplar ex Viteberga huc perlatũ est) aliquid delibare. *Malim* (inquit) *te illam tuam excellentem eloquentiam in aliis materiis magis propriis Ecclesiæ consumere, quàm in quæstione* περὶ τῆς ἀνάγκης. *Habebam amicum Tubingæ doctum hominem Franciscum Stadianum, qui dicere solebat, se vtrunque probare, euenire omnia vt diuina prouidentia decreuit, & tamen esse contingentiam: sed se hæc conciliare non posse. Ego cum hypothesin hanc teneam, Deum non esse causam peccati, nec velle peccatum: postea contingentiã in hac nostra infirmitate iudicij admitto, vt sciãt rudes Dauidẽ sua volũtate vltro ruere. Et eundẽ sentio cũ haberet spiritũ sanctũ, potuisse eũ retinere, & in ea lucta aliquam esse voluntatis actionem. Hæc etsi subtilius disputari possunt, tamen ad regendas mentes hoc modo proposita, accommodata videntur. Accusamus ipsi nostram voluntatem, cum labimur: non quærimus, in Dei consilio causam. Econtra cum nos erigimus, scimus Deum & velle opitulari & adesse luctãtibus.* μόνον θέλησον, (inquit *Basilius*) καὶ θεὸς προαπαντᾷ. *Excitatur ergo cura in nobis, & laudatur Dei immensa bonitas, qui & promisit auxilium & præstat, sed petẽtibus* (vt inquit Christus) *hoc est, iis qui promis-*

sionem intuentur. nam à verbo Dei ordiēdum est, nec repugnandum promißioni. Sed ei assentiamur, nec disputemus antea, tūc nos adsensuros esse, cū arcanū decretum Dei nobis monstratum fuerit. adsentientem autē Deus adiuuat, qui per verbum est efficax. Hæc Bōnæ scripsi apud D. Bucerū, &c. Vale. 11. Maij. 1543.

PHILIPPVS MELANTHON.

Quàm vel hæc tibi placuerit admonitio, vel tu huic magistro, quem mihi das, parueris, testantur ea quæ postea tantò vehementius contra scripsisti, & in quibus sic tumultuatus es, vt ne quidē tui alioqui fœderati ferre potuerint tuam in hoc genere intemperiem, & suos ministros tibi subscribere vetuerint. Testis est ipsius Senatus Bernēsis sententia lata 111. Aprilis, M.D.LV. quæ tua illa axiomata procul ex suis ditionibus facessere iussit. Nolo plura obiicere, quæ te grauius vulnerent. Sed hinc æstimare licet, quàm tibi conueniat cum eo, quem tu mihi obiicis. Tu illum (vt audio) aliquando vocauisti Peripateticum, cum ille te vocaret Stoicum. Sed si excuterem arcana, liqueret, inter te & illum dissensionem fuisse maiorem, quam inter Stoicos & Peripateticos: neque tamen huiusce rei nunc mentionē fecissem, nisi si in priori tuo contra me famoso libello exclamares insultādo, vt cum redemptione, de qua loquitur Paulus, conciliem Patrus (sicuti loqueris) doctrinam de libero arbitrio, & dicam, quomodo cūm adiutrice spiritus

ritus gratia concurrat hominis voluntas. Cur ista abs me petis,potius quam tuo Melãthoni, qui tibi aduersatur, respondeas? Audiueras paulo antequam hæc scriberes,in Saxonia inter Illyricum & Victorinum, magnam fuisse quæstionem περὶ αὐτεξουσίου ἢ συνεργίας. Tu Illyricum,qui tecum sentit,ferre non potes: Victorinum,qui Melanthonem sequitur,non oppugnas:me verò vnum,qui talia non tracto,nec fortasse intelligo,in Gallia exagitas. Quo iure?

Si iam non de re,sed de persona dicas agere te: etsi inuitus lectores onerem ineptis editionibus: tamen vt quem mihi iudicem fers, non recusare me ostendã:& aduersus tua maledicta,eius ipsius patrocinium retorqueam: en cogor tuo exemplo esse ineptus,vt quod alioqui pudor meus non pateretur, edam aliquam eius ad me epistolam. Mihi veniam dabunt æqui iudices, si, nõ dico laudatorem accersere antiquo reorum more videar, sed ab eo ipso,quem mihi aduersarius opponit, absolui me non moleste feram, tantúmque abs laudato viro mihi tribui, quãtum illaudatus calumniator, qui eum citat, detrahit, obiter ostendam:non quod tantum mihi deberi putem (quod si putarem, nimium mihi sumeré, nec essem ferẽdus) sed quod os aduersario sit obstruendum.

S. D. *Clariß. vir & cariß. frater. Extat apud Clementem Alexandrinum vetus Iustitiæ definitio, quæ*

recte intellecta dulcis est: δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ, μετ' ἰσότητος. Prior pars loquitur de priore tabula Decalogi, altera pars de secunda. Ac profecto vtramque complecti bonas mentes oportet. Te igitur iuris & iustitiae Doctorem, scio non tantum forenses leges, sed etiam eam doctrinam cogitare, qua sese Deus humanis mentibus communicat, & vtrumque bonum expetere, κοινωνίαν θεοῦ, καὶ τὸ νόμιμον ἴσον. Quare te & diligo & veneror, ac opto in Academiis, & in Aulis tales esse multos Iuris doctores. Bene Vale. Cal. Martij, M. D. LIX.

PHILIPPVS MELANTHON.

Audis bone vir virum bonum, quem laudas, valde alienum esse abs contumeliosa tua maledicentia. Neque tamen talia ascriberem, si per te liceret ea supprimere: sed cum aduersus tua venena requiro antidotum, tu me cogis tuis maledicis obtrectationibus opponere aliquod testimonium eius viri, cuius fulgore me obruere vis. Quid? vt iterum me percellas, etiam Bullingerũ aduocas suffragatorẽ tuum, & venerandum (vt ais) fratrem. Non dubito quin ille plurimũ tibi tribuat, neque inuideo: sed age, an eum reuereris, an ei vis fidem adhiberi? Iterũ, vt tibi satisfaciam, ineptus & prope putidulus ero. Accipe, quã ille ad me, quẽ tamen nũquam vidi, vltro scripsit epistolam, cum ego eum ne per literas quidem vnquam salutassem. Tantum abest, vt ambiendo elicuerim, quod scripsit.

S. D. *Hodie demum incidi forte fortuna in religiosissimum & sapientissimum Constantinum tuum, Balduine piissime & doctissime. Quem die crastina, si voluerit Dominus, absoluam legendo: id quod summa cum voluptate facturum me sat scio, cum principium ita mihi placuerit, vt nihil magis. Ago gratias Deo, qui eam tibi facultatem concessit. Dictio elegans est & pura, tractatio valde perspicua, eruditio & lectio varia. Viuunt omnia & salubria sunt, &c. Vale, Tiguri* XI. Mart. M.D.LV.

HEINRICHVS BVLLINGERVS.

Non ausus sum, ne rũparis & crepes, ascribere epistolã totã: sed ex autographo, quod penes me est, habes satis, quod te vrat. Neq; vero existimes me illius viri iudicio efferri, vt nõ agnoscã, quã ille & mihi & illi Cõstãtino meo plus tribuat q̃ mereamur. Ne labora, vt nescio à quo emẽdices aridas & rancidas notas, quibus commentarium illum meum deformes. Ego ipse mea sponte seuerius illum castigabo. Nunc obiter tantum volui, duorum, quos laudas, virorum iudicia tuis rictibus opponere. Habésne nunc quod me tuis faucibus eripiat? video te multo magis infremere. Quo igitur nunc te vertes? Si tuorum Ministrorum testimonia reciperes, aut si iis ego vti atque commendari vellem, equidẽ cum tu non modo ingrate supprimere vis, quam in Germania bene de tuis meritus sim, sed etiá improbe fingis quod est odiosum, opponerem illorum

ad me literas, quas hîc ab iis consignatas & in Germaniam missas, habeo testes meorum in hoc genere, non dicam meritorum (quia hæc te vox offendit) sed officiorum atque beneficiorum. Verum proteruia nunc tua, quæ est ingratissima, indigna est, quam tot verbis ambitiose refellam. Ergo te missum facerem lubéter: sed impius ipse essem, si dissimularem dolorem, quem mihi inussit nouum quoddã maledicti genus, quod ingeniosa tua crudelitas commenta est, vt me vehementer vulneres. Filiolam meam, quæ vix quatuor annorũ est, dulce lenimen meorum dolorum, inhumaniter impetis: de qua, si adolescat, impie vaticinaris nescio quid. Sic infantes, quos Christus complexus est, quibúsque benedixit, proculcas ô crudelis, parentibus etiam insultans? Hic non dissimulo talibus me aculeis commoueri. Sed vos ô pueri, vos ô patres obtestor: vos, quorum interest, appello, num hoc tolerabile vulnus sit? Quid? Scripsit olim Cicero ad Atticum: *Filiola tua te delectari lætor, & probari tibi* φυσικὴν esse πρὸς τὰ τέκνα. Intelligit autem στοργήν. Negabant Epicurei, eam esse naturalé. Atticum, qui Epicureus alioqui erat, factum patrem, ipsa experientia naturalísque sensus coëgit repudiare tam degeneré, támque barbarum stuporem. Et noster cælebs, doctor regenerationis, imperabit nobis nõ ἀστοργίαν modo, sed etiam ἀπάθειαν? Neque vero (sicuti fin-

gis) tibi exprobro orbitatẽ, Pater optime, imo vt melius intelligeres, quid στοργὴ sit, & nobis parceres, & minus audax esses, quem video (sicuti ille olim Romanus dicebat) senectute, cælibatu & orbitate fieri audacissimum: equidem vellem, & valde profecto vellem, Deus te tali benedictione beasset. Sed gloriose ais, tibi esse filiorum myriades in toto orbe. Non inquiro, Spiritales an spurij sint. Audio te vel Papã max. vel patriarcham vel patrẽ patrum propter talem fœcunditatem & videri & dici velle: quod facile patior. Verum est nimis indignum, quod hîc & somnies & significes te alterum esse Abrahamum, & interea, si quis tuis cupiditatibus obsistat, eum voces Ismaëlem. Quam nunc occurrunt multa, quæ audire deberes, & de te, multarum scilicet gentiũ patre, & de tuis gentilibus, siue Agarenis, siue Saracenis, siue Ismaëlitis, siue Israëlitis? sed, velis nolis, iterum tibi parcam. Tantum te rogabo, ne ex illis filiis tuis optimum quenque mactes sacrificando: & cum tuam tam numerosam gentem tibi relinquam, ne familiolam meam vexes. Quid enim? Etiam de spoliata auia nescio qua, quam certe vix me aliquando vidisse memini, & de priuignis nescio quid, odiose atque flagitiose fabularis. Quid non tentas & moues? Ego quid aliud quam te improbe mentiri dicam? Sed vide, an priuignus viuat tuus, cui plusquam pater esse

debuiſti, cum quidem ex Anabaptiſta patre natum more tuo regeneraſti. Certe ſi eius mater viueret, credo, nõ negaret, quod domi tuæ ſæpe apud me conqueſta eſt, cum, ſi qua malæ tractationis actio eſſet, rogaret. Nondum ſatiata eſt maledicẽtia tua. Audes etiam improbe fingere, ſpoliatos à me eſſe meos, qui plúſquam paternam pietatem meam ſentiunt, & agnoſcunt. Etiam ſi taceam, illi tuum maledictum refellẽt. Interea ex quo tu mandato ô noſter procurator agis, & quas habes probationes, ne iterum de calumnia damneris, & pœnam temere litigantium dependas de tuo? Cur non potius operam das, vt tot creditoribus, quos negare nõ potes, ab eo, cum quo deinde affinitatem contraxiſti, nefarie ſpoliatos eſſe, ſatisfacias, cum quidem eos quotidie iſtic querentes audias, & te in ſocietatem prædæ veniſſe vociferentur? neque aliud perſuadere poſſim noſtratibus, quos tale latrociniũ, quo vrbs noſtra tota expilata eſt, etiã afflixit. Nunquámne quieſces, vt non cogantur amici tui multa, quæ ſepulta manere vellent, retegere? Etſi obduruimus ad iniurias, & animum obfirmare conamur, vt non commoueatur, vt ſe contineat etiam prouocatus, vt iritatus non erumpat, vt non effundat flammas iracundię: tamen homines ſumus, & tu tam acer & aculeatus es in pungendo & lancinãdo, vt etiam truncos & lapides commouere poſſis: poſſiſq́;

ab inuitis exprimere & veluti extundere vocem, quam mallent esse compressam. Vtinam tu cum tua religione me docuisses non modo colaphum impingẽti, alteram genam cedendam præbere, sed & iugulum porrigere, potius quã me cogeres ad huius defensionis conditionem, quæ quauis carnificina mihi durior est. Sed quid non & facis & dicis, vt me commoueas? Quam tu denique mihi exprobres παιδαγωγίαν, nescio. Sed scis, quam tibi possem δημαγωγίαν. Continebo me tamen, vt me potius necessario defendere, quàm te videar vltro accusare: tametsi difficile sit, multa quæ obiicis, refellere, quin aliquid tibi aspergatur. Quia in maledico tuo libello totidem prope sunt mendacia, quot sunt verba: finem nunquam fecero, si in singulis refellendis immorer. Sed non patiar, vt aliis persuadeas quod cum tua etiã infamia fingis de Luciano. Quia quem discipulũ tuum esse dixeras, paulo post dixisti esse discipulum Luciani, non ei modo, sed & tibi iniuriam facere visus es. Ipse ingemuit te contumeliæ causa descendere ad Lucianum, cum alias te, honoris causa, apud amicos Lucanium, iisdem literis inuersis, vocare soleas. Sed an ille propterea te alterum Lucianum esse dixit? Si dixisset, non iniuria fortasse retorsisset conuitium quod prior obieceras. neque nunc non mereretis id ab eo audire, quem iterum, ex tuo forte ingenio alios æsti-

mans,impie & flagitiose eructas,nullū in cælo credere esse numen: quasi res aut leuis aut vulgaris esset ἀθεότης,quam toties in ore habes, somniás tibi semper rem esse cū aliquo Theodoro vel Diagora. An hic iterum me reprimam? Deum verum & æternum,Deum patrē Domini nostri Iesu Christi,Deum,qui in cælis est, qui meus erit tuúsque Iudex, iterū testem facio,vindicem inuoco, & vltorem credo fore repetiti huius maledicti impii.In sinu nunc licet rideas,cùm impune proculcas humiliores,& credulis illudis. At scito illum aliquando iudicem fore tuæ & crudelitatis, & fraudis,&(audebo dicere)blasphemię. Absit, vt vicissim tecū Peregrino Lucianico (quod alius fortasse faceret)conferam.Sed iterum te moneo,vt si pios homines, qui in tuas actiones intuentur, credere velis multum in te esse religionis : aliter, quàm aut verba dando,aut commētarios scribendo,tuam pietatem probes. Nam commentarios quoque scripsit ille Peregrinus.Imo(quod tu nondum fecisti)carcerem religionis nomine subiit. Audio quod scribis te sine saluo cōductu(vt vocas)voluisse in Galliam venire, & in eo te tuis collegis non sine aliqua eorum ignominia, audaciorē fuisse significas: sed satis supérque turbarum das etiam absens : & saluum te,quo voles, arma sine periculo circumducent. Sapis profecto,qui nunc tibi caues post principia. & ex

tuo lacu, tanquam portu, spectas aliorum naufragia. Sed tua interest, ne timidus videare. Ergo vt alias, cum es extra iactũ teli, ingeminare soles illud, *vsqueadeóne mori miserum est?* sic iam secure iterum iactas te in medias flammas venire velle. Verum opto tibi exitum meliorem, quàm fuerit illius Peregrini. Simul vero opto vt Gallia, quæ monstris olim caruisse dicitur, caueat, curet, ne quod impostoris monstrum ignorans adoret. Quid enim fallacius specie religionis? Feres æquo animo religiosissime Ioannes, si iterum eos, quos fallis, moneam, aliud esse religionem, aliud hominẽ: esse enim res diuersas, quæ confundi minime debeant. Patere, vt huius confusionis error, qui multis imponit, & pro homine interdũ Deũ impie veluti supponit, ex multorũ animis tollatur. Nã & hæc periculosissima idololatria est, quæ est subtilissima. Ergo, ne tibi blãdiaris: etsi tãtopere idololatras odisti, Caluinolatras ne exosculeris. Imo si quid habes spiritus Apostolici, disrũparis, & vestes discindas potius quàm patiaris te in idolũ trãsformari. Sẽtio hîc tuã atram bilem commoueri, non in degeneres tuos assentatores dicã an cultores? qui tamen te clam irrident: sed in monitores amicos atq; ingenuos, quos ferre non potes. Quo igitur me vertam? Terribilis es, ô noster Irenæe, cum pro coronide suauissimi atque amatorij tui libelli, furiose exclamas, me esse facem prorsus

furialem ad excitandas discordias. Hîc ego meam patientiam, ab ista (commotus prope dixi) furia, tam importune lædi sentio, mihi vt temperare vix ac ne vix quidē possim. Itáne vero tu,

Qui potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: & verbera tectis,
Funereásque inferre faces, &c. Túne nobis in abdito literarum recessu quiescentibus, neque minus pacem, quam disturbas, desiderātibus, quàm discordias abs te excitatas, quas sedare non possumus, lugētibus, ridendo & insultan do exprobrabis & ascribes tua stratagemata? quorum vtinā testem non relinquas nobilissimi huius Regni tristissimam vastitatem. Vix me contineo, quin de Romana illa matrona, quæ facem se peperisse somniauit, dicam aliquid. Sed obsecro, qui in hoc Regnum immisit vulpem, ciúsque caudæ tædas ardentes alligauit, vt quocūque discurrat, incendium exci tet, nobis lugentibus gloriabitur sese id Samsonis alicuius exemplo fecisse, & tamen miseros agricolas suis segetibus faces summisisse narrabit? An & tu, quæ inter tuas furias exultas, mediis in milibus ardēs ô Tisiphone, voles etiamnum haberi pro Angelo pacis? Scilicet ignota est, neque à quoquam conspicitur, hæc Erinnys.

Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello,
Et scissa gaudens discordia palla.

Nam ſæpe cogor vti verbis huius poëtæ, cuius carmine, tanquam (vt ait) tinnitu delectatur noſter tubicen. Equidem ô Dictator rei gerendę, ecquid iam multis annis iſtic agas, non inuitus ignoraui: tantũ abeſt, vt curioſe (quod facis) ſciſcitatus ſim quæ ad me non pertinẽt. Sed ſi dicendum tamen eſſet de turbis, quas nunc in Gallia etiam abſens moues, exclamarem illud eiuſdem Poëtæ:

Pandite nunc Helicona Deæ, cantúſque mouete:
Qui bello exciti Reges, quæ quenque ſecutæ,
Complerint campos acies, &c. - Certe cum eos hodie verſus relegerem, cohorrui, cum quidã ſuggeſſit, in eodem libro paulo ante etiã proponi quandam, non tuam, ſed ſeditioſi alicuius concionatoris veluti effigiem, vbi deſcribitur illa Alecto, *-Gorgoneis infecta venenis,*
Quæ ſtabuli de culmine ſummo,
Paſtorale canit ſignum, cornúque recuruo
Tartaream intendit vocem.

Nam & iſtud deinde ſequitur,

Alecto toruam faciem & furialia membra
Exuit: in vultus ſeſe transformat aniles:
Et frontem obſcœnam rugis arat: induit albos
Cum vitta crines, tum ramum innectit oliuæ,
Fit Calybe Iunonis anus templíque ſacerdos, &c.

Aderat alius quidam paulo minus inciuilis, qui horum temporum hiſtoriam cum Romana conferens, neſcio quid de ſeditioſis, præſertim poſt Gracchos, Tribuniſplebis (quos con

cionatores vocat ipſe Auguſtinus) referebat, de L. Saturnino, de Liuio Druſo, de P. Sulpitio. Alius ex hiſtoria Eccleſiaſtica magis accõmodate cõmemorabat multa, quæ ad ea quæ nunc fiunt in iſtis tumultibus Eccleſiaſticis, propius accedere videbãtur. Et qui abs te minus erãt alieni, dicebant, te Ioanni Antiocheno Cyrilli aduerſario ſimiliorem eſſe quàm Ioanni Chryſoſtomo. De moribus & ingenio loquebantur: fingebántque te quaſi Antiſtitẽ eſſe, vt cum veteribus Epiſcopis, potius quàm cum hæreſiarchis, comparari poſſes. vtinam vero illius ſaltem Ioannis Antiocheni cõuerſionem tandem imitareris. Malles, credo, non iam dico cum Dioſcuro Alexandrino antiſtite, ſed cũ eius deceſſore Cyrillo conferri. Sed palinodiam canere debebis, ſi quod Iuliano noſtros, quaſi ij abs ſe diſſentientes occiderẽt, accuſanti reſponderit Cyrillus, laudare atque imitari velis: vtque is pœnitẽtiam agere non recuſauit, cum diceretur non improbaſſe necem vel Hypatiæ fœminæ eruditæ, ethnicæ tamen: vel Oreſtis Præfecti Alexandrini, eodem furore occiſi: neceſſe erit, vt & tu ſæpius, quam velles, confitearis pœnitere te tot cædium à quibuſdam, qui tui dicũtur, perpetratarum ô pater patrate. Et quia in priori reſpõſione, Chryſoſtomi, quem indigne vexauit Theophilus, mentionem feci, nunc etiam te moneo, vt memineris, Cyrillum, patrui illius

ſui exemplo aliquando iniquiorem innocentiæ atque memoriæ Chryſoſtomi, tandem relicta calumnia, veritati teſtimoniũ ingenuum dediſſe. Hæc exempla potius tibi ad imitationẽ proponito, quàm aut Georgii Arriani antiſtitis aut alicuius Dioſcuri Eutychianis monachis ſepti:ne cum nõ eadem doceas, facias eadem. Scio tibi non moleſtam modo eſſe, ſed & acerbã hanc admonitionem meam. Sed res temporáque cogunt me *παῤῥησιάζειν*.

Vt autem deinceps nõ erres in auctoribus diſcordiæ notandis, valde te rogo, ſępius vt te & tuos, præſertim in hoc plus quam ciuili bello, reſpicias. Reſpicias illos dæmagogos, qui miſeram multitudinem, quam deuinctam, nõ vt ille olim Hercules Gallicus, trahunt & circumagũt, ſed vt Siculus quidã Eunus cogunt & armant: ac ne pax coaleſcere poſſit, iubent facinus aliquod magnũ perpetrari, quod reconciliationis ſpem nullam relinquat: lętique deinde illud inſultantis Furiæ (nam iterum occurrit Alecto) intonant,

En perfecta tibi bello diſcordia triſti:

Dic in amicitiam coëant & fœdera iungant, &c.
Atque vtinam nõ niſi vnus, qualis apud eundem Poetam, obſtaret Meſſapus *auidus confundere fœdus*. Sed quàm indignum eſt abs talibus bonos Feciales accuſari pacis perturbatę? Nihil apud te poſſum diſſimulare vir amiciſſime. Gaudebam hiſce diebus & gaudebam ve-

hemẽter,cum audirem quendam tui ordinis, (ſed quem fortaſſe minus, quàm ego,diligis) in mediis caſtris (ſcis de quibus loquar) concionatum eſſe de pacis cõditionibus ſtudioſe quærendis,& de Columba, quæ abs Noha emiſſa retulit ſymbolum humanę cum Deo recõciliationis. Sed maiori mox dolore affectus ſum,cum narrarent eodem & tempore & loco,illius collegam,quem tam valde amas,etiã frementibus,qui circunſtabãt,militibus nonnullis minime malis, & indigne ferentibus, cõtra eſſe concionatum de non ineundis conſiliis pacis. Quale dices fuiſſe claſſicum eius concionatoris,

-Quo non præſtantior alter,
Ære ciere viros, Martémque accendere cantu?

Sed quid aliud expectare poterant, qui eum antea non dicam talem Apoſtolum minime Apoſtolice ſpirare neſcio quid Catilinarium, ſed tuũ, ô Dictator, Magiſtrum Equitum hîc audierant armatũ, ſub dio concionantem de contemptu mortis? Iniquus fuero, ſi alienum tibi factum exprobrẽ, quod præſtare nec poſſis,nec debeas. Sed alia ſunt eius generis plura, quibus te teneri meminiſſe debes,quoties de tumultu alium accuſas: quæ certe non minus aut perſona tua aut tua profeſſione ſunt indigna. Et miraris, ſi iampridẽ tibi quidam reſpondit quod olim ciuilis lex cuidam Philoſopho reſponderat, *Profeſſio & deſideriũ tuum*

discrepant. Obiicies mihi, quam voles ambitionem, eadem frõte, qua discordiarum culpam. Sed nonne metuis, ne cum tua male simulata philosophia audias illud nostri Tertulliani *Pythagoras apud Thurios tyrannidem affectat*? An replicabis quod Arnobius, *Pythagoras* (inquit) *Samius suspicione dominationis iniusta viuus concrematus in fano est*? Sed occurrit, qui nos terret Appianus, cũ in suo Mithridatico narrat Philosophos specioso sapiẽtiæ titulo tyrannidem affectasse, & eam cõsecutos, crudeliores fuisse, quàm vlli sint tyranni indocti. An nos iis subseruiemus? Obsecro, ne toties me cogas causam dicere, cur meum, quod antea fortasse fuit, obsequiũ deinde non fuerit. Si (quod improbe fingis) commoda nostra sequeremur: certe tam fatui nõ sumus, (etsi fatuos esse nos dicas) quin regnantem, proposita magna mercede obsequii, sequeremur, quem secuti miserum sumus magno cum rei nostræ familiaris dispendio. Faceremus potius quod quidam Sectores nunc faciunt, qui spe prædæ opimorúmque spoliorum tua castra sectámque sequuntur. Scito itaque me sola conscientia reuocari. Cũ olim illud Tertulliani sæpe in ore haberes, *Huic sectæ magis occidi licet, quàm occidere*. Cum damnares Ethnicos philosophos, qui tyrannicidas nimium laudarunt, & doceres lõge aliam esse Christianam philosophiã, quæ ne tyrannum quidem interfici à priuato,

fas esse iudicat: cum Ecclesię insignia, crucem & ærumnas esse profitebaris: cũ exul & egens geméśque demisso vultu concionabaris de patientia, de charitate, de regeneratione: magna argumenta dabas religionis atque pietatis, & nos propterea te audiebamus lubenter. At cũ, rebus deinde commutatis, audiuimus omnia contraria, speciosis licet verbis tecta, an non fuit necesse viro bono ab iis dissentire? Obiicies quam voles mihi discordiã, cuius tamen antea significationẽ pertenuẽ dedi. Sed aperte nunc profiteor me alienum esse ab iis, quæ in factione tua sentio esse aliena abs Christiana religione, iure, & humanitate. Leuiora sunt illa scilicet, cum & statuis, & sepulchris, & ossibus Principũ, & Martyrum, barbarum bellum indictum videmus: cum ciuitates occupari: cum fana spoliari, audimus: & Reliquiarum (vt vocas) inuentarium non temere olim editum abs te fuisse, nunc intelligimus. ô singularem istam tuam religionis curam: ô reformationem admirabilem. Sed grauiora sunt alia, quæ perhorrescimus: quæ si neque tuis auspiciis, neque tuo imperio consilióve fieri dicas, vide quid responsurus sis iis, qui faciunt: certe miseræ lugentíque Galliæ nõ statim satisfeceris. Olim Cicero in hominem Caluentiæ, (vt aiebat) potius Calpurniæ familiæ, dixit: *Neque vero multum interest, præsertim in Consule, vtrum ipse perniciosis legibus improbísque concionibus*

concionibus Rempub. *vexet, an aliis vexare patiatur*. Quid si non patiatur modo, sed etiam velit & iubeat? Nolo quicquam in te dicere acerbius: neque meum est accusare quenquam: liceat mihi modo nõ laudare, quod malum est, & tranquillæ meæ secessioni venia detur. Hic ego tandem desinere putabam (quod misere cupiebam) vt te missum facerem (cum quo luctari nimis mihi molestum est) & ad meliora mea studia redirem: sed tu nondum me missum facis. Nam tu tuo libello assuisti acerbiores etiã accessiones, de quibus si nihil dixero, iterum periero. Nimis profecto dura est cõditio huius pugnæ, qua me exerces & huc illuc iactatũ exagitas. Sed quãdo ita vis, ferẽda est.

Posteaquam fatigasti te maledicendo, euocas manes Duareni, cui veluti in decursu hãc lampada tradas: & nescio quã eius infaustam declamationẽ, quam ille ante mortem suam sepelierat, eruis, vt hanc rursus in me veluti funeream facem vibres, ea fide, qua perfidiosus puer tuus, eam primũ elicuit ab auctore, quẽ clam incitauit, & ad se sciptam, inscio me, in cuius tamen sinu tũc erat, sparsit: tametsi nũc eam istic recudendo suppresserit librarius tuus honorificam eius inscriptionẽ. Equidem quo magis cogito, quænam sint artes siue tuę, siue tuorũ: tanto magis obstupesco cũ summa fraude coniunctam esse summam stultitiam. Stultitiæ incredibilis est, aduersario, qui tuam

Institutioné damnauit, vltro subscribere, atq; etiam eum laudare, & vt patronus tuus sit, aduocare. Sed fraudis maioris est, fingere eũ esse tuarũ partium. Quid dicam mirari me, librarium tuũ potuisse hîc tibi subseruire? An oblitus est, sese etiam in communi ad illam declamationem responsione ante annos septem illud Duarenicum scriptum, sua manu iugulasse, & in ea palam professum esse, sese nec posse, nec debere typos suos talibus scriptis commaculare? Fortasse dicet, sese id respondisse, cum abs Duareno rogaretur. Sed cum abs te nunc rogatus est, sentẽtiam mutasse. Accipio excusationem mancipii frugi & fidelis. Mirarer tamen rursus, cum eo scripto non excudisse illam responsionem, præsertim cum tua potissimũ causa scripta esset, & ille in ea partem haberet suam. sed homo cautus in mendacio deprehendi noluit. Imo vero Deus illi non minus quàm tibi mentem, credo, eripuit, vt neuter nunc quid agat, videat. Duarenum, quem viuentem, tanquam, vt loqui soles, Apostatam execrabaris, nunc laudas mortuum. Recte & candide. Sed quomodo tibi consulis, cũ hunc Iurisconsultum tibi accersis iudicem aut patronum? Ille moriẽs (vt serio iudicasse sentias) detestatus est tuam sectam: quod etiam iudicium ad sempiternã posteritatis memoriam relatũ est in Frãciæ Annales maximos. Quid? Superstites reliquit de Sacerdotiis & Ministe-

tiis, & Beneficiis, commentarios, quibus plane confoditur quicquid tu de Ecclesia tā prolixe doces in tua Institutione. Nunc commentarios illos commendas. Quis non laudet incredibilem candorem tuæ simplicitatis atque modestiæ? Quis non amentes fuisse dicet eos, qui tuam Institutionē defendere conati sunt? Imo vero quis tuam nunc non admiretur dementiam atque cęcitatem? Age, per me sane licet, vt, quando ita vis, Duareno etiam iugulū præbeas, & deinceps alios etiam, si vis, monebo, tibi nunc placere, quod ille cōtra tuam de ecclesię ministeriis Institutionem scripsit. Videris tu, qua ratione tunc placabis tuos Ministros, quos tali prope iugulabis confessione. At responsionem Duareno oppositam displicuisse tibi narras, quia cum significaret illum quædam ex tuis libris surripuisse, scilicet ei periculum capitis tali indicio creabat. Te autem quiduis pati malle, quam vt alterum quis lædat. Næ tu vir optime, mirabilis es artifex simulandi atque illudēdi. Tu quoties in aliquē scribis, nihil non & quæris, & captas, & fingis, & facis, vt aduersarium non tam refellas, quàm traducas & ad rogū trahas. Testes sunt omnes tuæ pugnaces atque inuectiuę insidiosæque accusationes. Sed & quodam loco gloriaris & triūphas, quēdam in Belgica indicio tui libelli, ad suppliciū capitis abreptum esse. Et ne longius abeam, illa ipsa, quam nunc in

e l l ti , farrago furiosa, quid aliud vel agit, vel captat? Et interea non pudebit flebiliter queri, non esse habitam rationem Duareni nici nescio cuius periculi, quod certe nullum fuisse res ipsa loquitur? Porro vt magis cõstet, ecquid præsidij habeas in eo viro, cuius nomen, tanquam Gorgonis caput mihi obuertis, & cum illi patrocinaris, quàm sapiẽter tibi consulas, caueásque: equidem facerem nõ inuitus, vt singulis collatis & inter se commissis capitibus ostenderem, quàm valde dissideatis in Ecclesiæ ministeriis describendis: vt si ille de iis bene senserit, te pessime sentire sit necesse. Sed neque ocij neque temporis tantum mihi nunc datur, quantum ad eam rem esset necesse. Quid autem, si addere vellẽ alium quarundam in eo genere tuarum ψευδολογιῶν, quas ille non notauit, indicem? Certe non de vnius verbi χειροτονήσαντες, interpretatione tua, quam ille exagitat, respondẽdum tibi esset. Non est nunc mihi præ manibus Institutio tua. Sed, si recte memini, recordor, te in eo capite de Ecclesia & eius gubernatione, valde exultare, cum Canonem quendam de prouocatione ad Episcopum Ro. clamas esse suppositititium, qui cum Nicenus esse diceretur, inuentus sit esse Sardicensis. Fateor vir doctissime, hoc quoque me olim credidisse, cum diligentius non inquirerẽ in historiam, quam narrares. Sed postea sum expertus, vafrum illum Siculum

non temere olim monuisse, *Non temere esse credendum*. Fateor illum Canonem non fuisse inuentum in Græcis exemplaribus, quę Africani patres consuluerunt: sed fictum propterea fuisse, inde non conficiet dialectica tua, non magis quàm illum, quem cum sibi ignotum fuisse fateatur Augustinus, non fuisse in Africa peruulgatum significat. Quid? Non modo ipse Athanasius, sed & qui cum eo fuerunt in Alexandrina synodo Episcopi, Ægypti, Thebaïdos & Libyæ, quorum plerique Niceno Concilio interfuerant, locupletissimi profecto & classici testes, in sua ad Felicem Roma. Episco. epistola affirmant, illud de prouocatione, decretum fuisse Nicææ: quod deinde rursus potuit, vt alia pleraque, repeti Sardicę.

Istud obiter dico, vt in mentem mihi nunc venit, non vt de iure illius prouocationis contendam, sed vt de facto déque historia, in qua si tu meam diligentiam, ego tuam fidem requiro, te & me submoneam. Nam hîc falli, labi, mentiri turpe est, præsertim tibi. Itaque & illud, quod eodem loco tam confidéter iactas, & ego te secutus aliquando temere tradidi, de Donati aduersus Cecilianum ab Episcopo Rom. ad Constantinum prouocatione, datóque cum aliis Episcopo Arelatési, vellem mecum diligentius retractares. Nam si Optatum, & epistolam Constantini, & acta Arelatensis illius Synodi, quæ nuper nactus sum,

consulamus, liquebit, præposteram atque inanem esse, quam ex illa historia reperis, argumentationem. Tantúmque abest, vt Constantinus tale prouocationis genus laudarit, vt etiam contra exclamarit, *ô rabida furoris audacia*, &c. Hanc enim esse veram lectionem Optati, neque emendationem, quam nuper doctissimus Iurisconsultus tradidit, admitti posse, aliàs ostendã. Nunc velim mihi ignoscas, si præter opinionẽ huc delapsa sit oratio mea. Illud modo volebam, vt cogitares tam nondum castigatas esse tuas Institutiones, quin aliquod etiamnum mendum, etsi de historia tantum agatur, in iis hæreat, vt in meis esse plurima vt admonerer, curasti. Nunc ad famosum & mendax scriptũ Duarenicum, quod in me recudi voluisti, reuerterer, nisi si iampridẽ refutatum esset, & esset alia responsione indignum. Nam quod in eo, si forte id nõdum animaduertisti, Nouatus appellaris: mihi quidẽ certe dolet: sed id refutare, tuum est.

Porro quod Duareno non contentus, aduocas alios quosdam Iurisconsultos, quos veluti in equum tuum Troianũ includas, vt me oppugnes: equidem, si eos pro tuis ministris & mancipiis habes, conquerar & ordini nostro & Iurisprudentiæ iniuriam te facere: neque id minus moleste feram, quàm quod me Sinonem etiam vocas, honoris (credo) causa. Non enim alioqui tuos mihi titulos commu-

nicare velles. Sed vide, ne non plane vni tibi propria hæc laus ſit, hic titulus, cum iactes de tuo ludo, quod olim Iſocrates de ſuo,

Ex eo, tanquam ex equo Troiano, heroes prodiiſſe.

Certe cum illud in ſchola nuper legeretur,

Arduus armatos medius in mœnibus aſtans
Fundit equus: victórque Sinon incendia miſcet,
Inſultans, &c.

quidam nimium naſuti & allegorici, collatis tuis ſtratagematib⁹, neſcio quid de ſimilitudine τ̃ ἀδεμήλων inepte fingere voluerunt. Sed ad rem. Aduerſum me cum Duareno Conſcium quendam coniungis. Quàm ſcite? ſi quanta inter eos fuerit coniunctio, ſcias. Sed eum plane eſſe tui iuris forte putaſti, quia & Nouioduneus ſit, & contubernalis aliquãdo fuerit tuus. Nam nunc Doctorem eſſe Iuris Pontificii obliuiſceris, & Apoſtatam eſſe, quod aliàs ſoles, clamitare non vis, quia eo vti in rem tuã velis. Equidẽ eũ contra non vindicabo. Sed quid tandem ex illo profers, quod in me torqueas? Diſputationem neſcio quam de ſucceſſione in ſtirpes aut in capita. Fateor pertinere ad ius ſui. Sed quid illa vel ad te, vel ad id agis? An quia initio me iuſſiſti reſpondere de apicibus Iuris; noluiſti mihi deeſſe materiam? verum vereor, ne ſi in eam diſputationem ingrediar, tibi, quem vix puto delectari talibus myſteriis Iuris, valde moleſtus ſim: quanquam in iis ego verſari mallim (vt mea ſunt profeſſione digniora) quàm

in aliis quisquiliis, quas tu mihi obiicis, vt nun quam me extricem. Ergo quando in hoc pistrinum nunc impactus sum, etiã molendum mihi est. Cæterum miror, non exhorruisse te, cum id quod tuæ sacrosanctæ farragini assuis, haurires ex commentario, qui Episcopo quondam tuo inscriptus atque consecratus est, & cuius auctor profitetur sese esse in clientela illius, quẽ tantopere odisti, antistitis. Eiusdem farinæ sunt, quod librarius tuus ex eodẽ fonte hausit fragmentum, in quo notantur mei de Constantini legibus & de XII. Tabulis commentarii. Næ tu mirabiles & sagaces habes rerum omnium scrutatores, librorúmque omnium peruolutatores. Sed malæ fidei sunt hæc mancipia tua, quæ vt tegant vanitatẽ nostri Censoris, supprimunt postremam editionem mearum XII. Tabularum. quam qui conferunt cum illius notis post editis, vidẽt eum vno post anno multa castigare, quæ ipse castigaram prius. Certe quia id omnibus liquere putabam, non dignatus sum hactenus illi ieiuno magistro, qui discipul⁹ antea meus fuit, respondere: tametsi gratias agere nõ nollem, quod ex suo Codice manuscripto, admoneat me quarundam Constantini Constitutionũ, inscriptionum, & subscriptionum, de quibus nihil diuinare alioqui potui. Vellem vero etiã rogare, vt me patiatur mea castigare, meminerítque non esse in mea potestate typogra-

phos, qui quotidie libros recudant. Sed quid tandem ad te hæ λεπτολογίαι. Equidem cum in hiſce verſor næniis, obliuiſcor mihi rem eſſe tecum: & neſcio quî fieri potuerit, vt auguſta & ſacroſancta tua amplitudo ſe demittat ad iſtas curas tam humiles, anguſtas, abiectas. Me quidem tedet pigétque bonas horas tam male collocare. Sed te recreat nouus riualis ſua in me velificatione: quæ tamē de inani tātū gloriola puerilis & arida & ridicula cōtētio eſt, indigna profecto, quam tu ſpectator tuo plauſu accendas. Ille ſe nunc doctiorē eo eſſe, quem habuit aliquando doctorem, vehementer contendit. Etſi id concedam, & præterea adiungā vetus eſſe illud, πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων: quid tibi inde accedet? mihi quid decedet? Per me quidem certe licet, vt ieiuni tui ſcribæ etiam in muſtaceo laureolam quærant, ſi hunc eſſe putas fructum Euangelicæ mortificationis, quam doces. Per me (iterum dico) licet, vt hoc vento ſe paſcant, ſi nihil aliud habent, quo ſe ſatient hiantes. Ego iampridem ſatur ſum iſtius tam putidæ fatuæque ambitionis. Sed ſcire vis, quantū & fidei mereatur tuus Conſcius, & quantū in eo habeas præſidii: obſecro, manda alicui tuo, cui credere voles, miniſtro, vt hic legat, quam ille, triduo antequam efflaret ſuas illas contra me abſentem glorias, publice recitauit & ſua manu conſignatā in Germaniam miſit de ſuo

(vt dicebat) excellẽtiſſimo præceptore, & de meis erga ſe & Iuriſprudẽtiam & literas, meritis, orationem. Ea penes me eſt. Sed ne viuã, ſi per verecundiã poſſim has ineptias reuoluere. Quid mea erga illum officia, beneficiáq; fruſtra commemorem? Hoc tu facito, qui tam officioſus es, vt nũc homines ingratos & perfidioſos etiam tibi applices. Porro quaſi multum interſit Reipub. Chriſtianæ, ſcripſerim an non ſcripſerim Commentarios in Inſtitutiones Iuſtiniani: non modo per eum, ſed & per alterum, innominatum tamen, teſtem & Cenſorem vehementer contendis, cuidam Brechtano præceptori quondam meo, acceptos ferri debere, qui ſunt abs me editi. Sed quo iure hi leguleii ſine mandato allegãt ius alienum, atque etiam ſine probatione. Mirũ profecto, ſi & Iuriſconſultis & Theologis placeat talis actio támque ἀμάρτυρος. Nam ſi ita licet agere, quid illis fiet? Clamat tuus catulus & ringitur, quod dixerim iuſta eſſe commentaria. Vbi tandem talẽ titulum aſcripſi? Nam quia diligentius mea, quam ego, legiſſe videtur, bona fide me monere debet. Equidẽ illi, ne rũpantur, remitto moleſtiam probationis, & te, quod ita me exerceas, laudo, quia metuebas fortaſſe ne me gloria commentationis nimium inflaret efferrétque. Sed non erat neceſſaria hæc tua medicina, modeſtiſſime Ioannes. Audio equidem te tibi valde placere, &

caudam iactare popello, quia in sacras literas commentarios Buceri & Oecolãpadii interpolaris, polieris, auxeris, atque etiam conuerteris in linguam Gallicam: neque negamus te propterea doctissimi, ingeniosissimi, eloquẽtissimi hominis nomen retulisse. Ac si quid nostro præconio addere possemus, esses etiã magnus Apollo. Sed si tamen te non ideo deceat (quod quidã olim ait) pulmonẽ rũpere vẽtis: scito nobis multo minus licere propter inanẽ speciem quarundam literarum ciuilium concipere animos magnos: & verò iterum scito nos nostræ vanitatis consciios, nihil nobis tale arrogaturos esse, etiam si Rhapsodias puerilium annotationum in Iustiniani libellum liberaliter nobis relinquas. Nam & melius, quã aut tu, aut tui, scimus, quàm illud totum sit nihili. Ergo si vis esse alienum, facile etiam concedam. Dicerem tamen eos nimis esse iniquos, quos mihi subornas, cum quidem, quicquid in iis cõmentariis reprehendunt, meum esse volunt: reliquum volunt esse alterius. Sed in tam magno volumine tam pauca notãt & castigant, vt asperiorem censuram requiram. Patiantur ergo, me, commentariis abs me editis, extremam adhibere manum. Ego sexcẽtos præterea locos vel expungam, vel emendabo. Quod quidem respondeas (velim) meo nomine non modo Conscio nostro, sed & illi innominato, quem adiungis, mirifice triumphãti,

quod neſcio vbi obſeruauerit, me aliquando duos ſui Ciceronis locos aut non ſatis intellexiſſe, aut mēdoſe allegaſſe. Imo vero, vt video, ferre non poteſt vt aliquid diſcam, cum etiam me accuſet, quia de Iure trium liberorum & tergeminorum, rectius ad legem Papiam docuerim, quod alibi non diſtinxeram. Oportet mirabilem eſſe hunc Cenſorem, qui reprehendit quod eſt laudandum. Ecquo vero recidimus, ſi non licet caſtigare, quod antea temere aut perperam fortè ſcripſimus? Cum aliquando ſcripſiſſes, Pellam, quæ eſt ad Iordanem, eſſe in Macedonia: error fuit plus quam puerilis. An quia eum deinde correxiſti, tibi inſultabitur? Porro quid putidius eſſe poteſt, quàm quod is, quem mihi obiicis, innominatus pædagogus, terribilis ſcilicet Orbilius, iraſcitur, me in meis de hiſtoriæ inſtitutione προλεγομένοις non potuiſſe plane definire, certóque notare τὸ λεπτὸν, cum quæritur quot ſint anni ab orbe condito? Equidē neſcio quo modo nunc mihi placere incipio, cum audio tam famelicos canes aliud non habere, quod arrodant. Sed ne forte mihi placeam, ignotus hic magiſter in vniuerſum contendit, ſi de literis, doctrina, eruditione quæratur, mihi deeſſe omnia, naturam, artem, & exercitationem. Age vt eum hoc labore leuemus, iſtud ei quoque concedamus. Et quando nobis tandem quicquam arrogauimus? Interea hominē, ſi is eſt,

quem suspicor, admoneas, velim, (nam ille tibi meret) quandocunque in eius commentarios inquirere mihi ocium erit (non enim hactenus tantum mihi fuit ocii, quo vellem abuti) paulo plura me notaturum esse, quàm notet in meis. Nam & ne longè abeam, in ea ipsa epistola, qua meam ἀϊστορησίαν suggillare se gloriatur, suámque memoriam antiquitatis venditat, vide quantus vir sit, cum suum Ecebolium, quem ait vixisse sub Valentiniano, memorari ab Eusebio scribit, oblitus, Eusebium mortuum fuisse, antequam auditũ fuerit Valentiniani nomen. Credo cum hic tuus quondam hypodidascalus istic Grammaticam doceret, sæpe pueros cæcidit, minoris solœcismi causa. Nunc à pueris vicissim cæsus, vapulet gloriosus hic doctor: nisi si alio flagro dignũ esse iudices. Verentur tamen nonnulli, ne illi sis æquior, quia sæpe te quoque fallat chronographia. Nam & in tuis toties castigatis Institutionibus, etiamnum doces Sabellium fuisse post Arrium, cum tamen constet vixisse ante ipsum etiam Paulum Samosatemum. Photiũ Sabellianæ hæreseos instauratorem in Synodo Syrmiensi, post Arrium surrexisse, rectius dixisses. Redeo ad eum, quem mihi das, magistrum & castigatorem, peróque iterum, vt interea dum gratiam referã, eum moneas, cum suas ad te Verrinas recudet, vt saltem Nannio satisfaciat, si plagium aliis vult obiicere:

discátque tantus iuris doctor aliud esse ius Prætorium, aliud ius Prædiatorium: ne illius imperitum fuisse nostrum Scæuolam iterum scribat, quia de hoc respondere noluerit. Discat prius quam de aliis triũphet, hanc conditionem, *Si in Capitolium ascenderit*, esse promiscuam atque arbitrariam, ne iterum (quod pueri quoque nostri rident) nos doceat pertinere ad currus & quadrigas triumphantium. discat tam capitalis interpres verborum iuris, qui nobis pueris aliquãdo ignotam fuisse gloriatur nescio quam Ciceronianã capitis demptionem, discat (inquam) capitationem in libris Legum, longe aliud esse quam quod nos docet in suo mirifico lexico: & cũ id recudet, discat ex Brissonio, quod Solœcismos commi serit. Si de Ecclesia etiam agere vult, respondeat Ruffo. Quid me lacessit latitans? Et quid aliis molestus est, vt quam se putat esse doctissimum, tam probet me nõ esse eruditissimum? Vix quisquam est, qui mihi, quam ego, tribuat minus: neque poterit suis calumniis tantum mihi detrahere, quantum ego mea sponte mihi detraho, & conscientia mea minuo. Itaque necesse non est, vt mihi iudicé det Cuiacium: tametsi hunc potissimum appellare debeam, qui superioribus diebus, tam amicis atque honorificis ad me literis, in suum collegium vt redire vellem, rogauit, detulitque vltro, plus quam deberi mihi putem. Interea quid ille dé

isto innominato Censore & eius præceptore sentiat, coniunctim indicauit in suis de Dolo malo commẽtariis. Denique noster magister Latinitatis, prius quam de meis scriptionibus garriat suarum oblitus, respondeat Sturmio, & aliis, à quibus accusatus est, quod suo nomine ediderit epistolam abs Sturmio scriptam, eámque Institutionibus præfixam tanq̃ suam vẽdiderit Duci Saxoniæ. Vt autem suam causam agat, potius quam alienam: moneas eum, necesse non esse, vt beneficiariis vel canonicis libris Duareni iterum patrocinetur. Nam si ita vis, lubenter concedo esse optimos, maximos: neque quicqûam est, quod facere lubentius debeam, vt te percellam. Tibi tunc quomodo cautum sit, iterum videris. Sed oportet istius tui patroni incredibilem esse, non iam dicam, impudentiam, quia latitat, sed nequitiam: cum quidem posteaquam edito libello de Sacerdotiis aduersus Ruffum ꝓ Molinæo, proscidit illos Beneficiarios commentarios, nunc eos se adorare fingat. Non minus indignum est, quod nouus hic Ecebolius Apostatæ Iuliani, de apostasia nescio quid nugatur. Scilicet religionẽ nos docebit elegans magister Ciceronianæ ἀσκόπως. Saltem tantus Ciceronicola meminisset, nos illud Ciceronis de Clodio concionatore etiam legisse: *De religionibus sacris & ceremoniis est concionatus, Patres cõscripti, Clodius, P. (inquam) Clodius sacra & reli-*

giones negligi, violari, pollui questus est. Non mirum *si hoc vobis ridiculum videtur: etiam sua concio risit hominem.* Sed noster subtilior est. Etiam de mysterio cœnæ Dominicæ disputat, & me, cum sua Gallica (vt vocat) Ecclesia non idem sentire, narrat, qui ab ea, propter Clodianum facinus, in Germania excommunicatus, aliam, quæcunque illi fortasse patuit, mensam occupauit. Vis scire quanti faciat totum istud mysterium tuus mystagogus? Audi Sturmium, cui non potes non credere. Is ad illum tuum filiolum nescio cuius criminis reũ ita scripsit: *Ad me cucurristi, excusans factum, iurans atque testificans, si verum istud sit, quod ad me relatum esset: fuisse te hodie in cœtu Ecclesiæ, participasse de Cœna Dominica, rogare te Deum, vt quod ea concione in cœna accepisses, id in Diabolum & Satanam conuertatur, si sit verum. Quodnam iusiurandum grauius esse poßit, quam istud sit, deuouere se Diabolo & Satanæ, si sit verum, quod erat verißimum? An tu istud negare potes.* &c. Hæc de illo Sturmius. Cũ voles, mi Ioãnes, agere mecũ, de isto mysterio, per aliũ agito. An tuæ sentẽtiæ sim, tunc scies, & meã esse audies eã, quæ & tale tantúmq; mysteriũ exinaniri non patitur, & magnificit perpetuam veteris Ecclesiæ sententiam. Equidem nolo de mysteriis disputare. lex enim id prohibet. Et quo erumpant tuæ de iis disputationes infinitę, video. Sed profecto doleo, homines profanos manibus illotis tractare talia

mysteria:

mysteria: & te, eo nomine in tota etiam Germania reum, potius vt extrices, moneo. Iam si redeundum est ad eum, cuius maledicam & famosam de me epistolā edis: imprimis quæro, quo vel iure, vel more, vel exemplo tu per ignotum aliquem & innominatū nugatorem traducas aliorum vitam? Quid tandem fiet, si tales de aliis fabulas eo modo spargere liceat? Quis est, qui tutus domi suæ sit? Et qualia putas de te & tuis familiaribus vere narrari poterunt? Deus bone, quales (vt vocant) legendas relinquet posteritati secretarius, qui & tua & tuæ factionis acta omnia tum publica, tū priuata describet? Ego vitam tuam non describā (nō enim id est pudoris mei) sed eam familiari & collegæ tuo Zebedæo describendam relinquo, si ita agendum sit. Meam Deus iudicabit, & fideliores, quam tui sint, testes fortasse narrabunt. Saltem alium mihi subornasses præconem, quam eum, cuius mores Sturmianus quoque stilus iustissime iam cōfixit. Saltem monuisses mēdacem debere esse memorem: ac ne in limine palam impingeret, neue titubaret, cauisses. Non est dignus, cuius fabulam refellam: sed vt istic vapulet, verbum vnum addam. Vt quantum fidei mereatur familiaris iste, quem mihi subornasti, fabulator, notum sit, valde scilicet Rhetorice orditur suam narrationem ab insulso mēdacio & nouo crimine. Prīcipio ait me Argētorato iusse

Geneuam. Scio istos hypocritas magni criminis loco ducere, si quis recta non properet ad eorum synagogam metropolitanam: vel alibi prius quam in illa sua (vt vocant) hierapoli quærat quod ipsi venditant. Sed quale sit hoc crimen, alij ęstiment. Ego nunc tantum dicā, nimis impudētem esse hunc nugatorem, qui fingit, quod, qualecunque sit illud, est falsissimum: cum quidem Argentorato nunquam Geneuam sim profectus, neque vnquam tale iter triuerim: quod si ingressus fuissem, equidem præmonitus substitissem in medio itinere, neque imprudēs viator incidissem in istos insidiatores, qui incautum circumuenerunt. Vtinam (inquam) Rhenum prius quam lacū Lemanum salutassem. Tempestiue ab illo didicissem (quod postea, sed serò didici) quàm mihi ab hoc esset cauendum: neque ad Sirenios istorum scopulos impegissem adolescēs rerum imperitus. Nunc, ne iterum meo naufragio insultet importunus pirata, de suæ scilicet ciuitatis honore valde solicit⁹: quid aliud illi respondere possum, quàm me nescio quo errore viæ, contrarium iter secutum esse? Obtestor te, quisquis hæc legis, mihi vt veniam des, si talibus te næniis remorer. Fateor quæ nunc obiter dico, nō esse digna quæ alios obtundāt. Sed in rebus etiam leuissimis & prope nihili, vult Deus conspici istorum (audebo semel dicere) nebulonum vertiginem, quos

ille mēdacij pater ita circumagit, nulla vt ſint tam craſſa, tam palpabilia, tam putida mēdaciorū portenta, quæ non confidentiſſime effutiānt. I nunc ô miſera Gallia, & in rebus magnis fidē adhibeto talibus (cur nō dicā?) impoſtoribus. Quid reliqua, quę eiuſdē farinę ſunt ægri noſtri monitoris ſiue ſomnia, ſiue deliria refellerē? Fac potius ô Deus, fac, vt magnis in reb⁹ & periculo maximo excæcati populi aliquando ſentiant & videant, quales ſequantur ſigniferos, cum in præſtigiatorum ſe dānt ſectam. Miſereat te ô Deus multorū, qui te animo profecto bono & religioſo quærunt, ſicuti abs te audierunt hanc eſſe vitam æternam, vt te cognoſcant & eum, quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. Ad te itaque & Chriſtum reuoca palantes, & ita contine, vt hac tua luce cōtenti conſiſtant: neque præcipites longius & veluti præter caſam excurrant, ſecuti cæcos Duces, vel vafros neſcio quos ἀγύρτας, qui pietatem initio ſimulāt, & de te loquuntur, vt credulam multitudinem longius abducant. Neſcio qui fiat, vt toties præter meum inſtitutū diuertat in has παρεκβάσεις oratio mea. Sed quorſum redeam ad epiſtolam noſtri monitoris, quam nōdum potui integram perlegere? Nam manca & mutila eſt in nundinis diſtracta: proptereáque & imperfectam nunc habebit reſponſionem. Mirabile vero genus epiſtolę, quę ad me miſſa nunquam eſt, & quę

ne tum quidem cum abs ſuo auctore editur, ſubſcripta eſt: Obſecro, quid tandem in ſuis caſtris trepidat eius ſcriptor, olim togatę, nūc armatæ militiæ ſatelles? Scilicet diſputans de capitis deminutione, capiti ſuo, ſuorum ſcelerum conſcius, metuit, ſi deprehendatur.

Ergo laudo conſulti catíque hominis non dico metum, ſed cautionē: tametſi ſe iam diſſimulet eſſe Iuriſconſultum, qui Iuſtinianum non ſuum, ſed meū appellet: cum tamen alias prædicet ſe eſſe Iuriſconſ. clariſſimum, & vnū Iuſtiniani interpretem atque adeo caſtigatorem, qui ſolus cornicum oculos configat. Sed ne errem, obſecro mi Ioannes, dicito mihi bona fide, an is ſit, quem ſuſpicor: vel ſi diuinare potuero, ne nega. Nonne ille eſt qui quia ſiue Turcici, ſiue Ottomannici, ſiue Iſmaëlitici generis, & nominis eſt, Sileſium ſe eſſe finxit, cum in Germania negaret ſe eſſe Gallum, vt in aulam Auſtriacā irreperet? Nonne ille eſt, qui cum tuam Eccleſiā clam fugeret & Scholam, in qua tamen docuit annis aliquot Grammaticam, depoſita Iuriſconſulti perſona, venit in Germaniam tuis ad Sturmium literis inſtructus, quę Sturmium fefellerunt? Nonne ille eſt, cuius (vt nunc dicebam) vitam, perfidiæ, nequitię, ſceleris & omnium maleficiorū plenā ipſe Sturmius nuper deſcripſit, ille (inquam) Sturmius, cuius, credo, teſtimonium repudiare non auderes, præſertim cum eius

teſtimonio vtaris, vbi te libróſq; tuos laudas? Nonne ille eſt magnus ardelio, qui cum in Germania Principes miris modis eſt ludificatus, huc & illuc diſcurrens, modo in Gallia tumultuatur, modo ad Rheni ripas aduerſus Regem ſuum milites cogit? Nõne ille eſt, quẽ Sturmius (nam alio non eſt opus teſte) oſtendit etiam Galliæ Principibus pluſquam proditorie maledicere, cuiúſque lingua nullum veneficium magis veneficum eſſe ait & probat? Nonne ille eſt, qui ſuperioribus annis in Germania pinxit ſiue ſuum, ſiue tuum tumultum Amboſianum, & Tigrin peperit, & eius generis formulas quotidie cõcipit nouus magiſter libellorum, non (vt iactabat) ſupplicũ, ſed famoſorum? Denique nonne eſt ille tenebrio, qui ad me aliquãdo ſcripſit, σκοτεινὸν ἐν τῷ ναῷ χρόνῳ? Et nunquam pudebit te, tales in ſinu tuo fouere viperas, tales habere ſocios, tales aduocare patronos? An non tibi ſatis ſupérque ſuppetit veneni, niſi ſi virus ex talium Serpentum ore ſugas, quod deinde vomas? Scilicet tenes dirum illud vetúſque, ὄφις παρ' ἐχίδνης φάρμακον δανείζεται. Imo vero quia tales mihi infeſti ſunt, minitando inſultas, tótque mihi eſſe inimicos exprobras, quot tibi amicos eſſe iactas ô Tite, amor & deliciæ humani generis. Quid reſpondebo? Quidam olim cũ neminem qui inuideret, habere ſe aduerſariũ audiret, exclamauit, Nihil ergo ſe geſſiſſe pręclarum

clari. Ego nihil in me esse video, cui inuidere quisquam possit: multa vero, quorũ misereat omnes. Sed cum illos quos narras, inimicos mihi esse gloriaris, quid aliud quam ingratis & perfidiosis hominibus patrocinaris? *et bene apud memores veteris stat gratia facti*. Ego de iis, vbi vbi potui, bene meritus sum: alios docui, alios alui. quod si negant, eorum syngraphis atque chirographis inficiantes debitores conuincam. Vel verbo, vel re me vnquã iis nocuisse, nunquam probabis. Aduersus me vero meúmque caput nihil non eos, iam tum etiam, cum in sinu meo essent, scelerate tentasse, negare non potes. En cur tales viperas laudare, mihíque cum iis insultare debeas vir gratiosissime: atque etiam, vt oppressus respirare non possim, tales aduersarios simul impressionem facientes mihi obiicias, & quicquid aliquando tres aut quatuor maleuoli cõtra me effutierunt, conuerras, tanquam collecto in desperatione fasciculo, quo me obruas. Sed ea in re quid aliud, quam tuam rursus miseriam atque trepidationem prodis? Quid si tali exemplo vterer, & cogerem quicquid ab aliis scriptũ meliori iure aduersus te est? Quot putas plaustra onerarem? Etsi eos, quos Papæ seruire ais, missos facerem: tamen vel vna te Saxoniæ Magdeburga obrueret. Quanquam satis haberes negocii, si hostibus relictis, domesticum tibi Censorem obiicerem, & ea tan-

tum indicarem, quæ tuus siue riualis, siue contubernalis clam arrodit atque reprehendit in tuis Euangelicis commentariis. Scio tuam ferociam insolescere, quia dicere soleas te hactenus in Gallia rem non habuisse nisi cū aduersariis insulsis atque ineptis, qui etiam bonam causam male agēdo, etsi nullus eos refellat, perderēt. Sed erras, iterúmque erras, si neminem propterea hic esse putes, qui tibi paulo acrius possit ausitque occurrere. Des *libertatem fandi, flatúsque remittas*: quia iam detecta tua consilia sunt, breui senties fulmineam superesse legionem doctissimorum, grauissimorū, religiosissimorum hominum, qui se tuis & clamoribus & conatibus acerrime opponent. Imo vero etsi ille ordo, cuius imprimis sunt hæ partes, cessaret, profiteor ex ordine & collegio Iurisperitorum prodituros aliquos fortes & bonos bonæ causæ patronos. Erras itaque, si, quia degeneres ex eo ordine aliquos habes, qui & tuis cupiditatib' seruiliter obsequūtur, & abs tuo nutu abiecte pendent, existimes omnibus ereptam esse mentem generosam, aut tā esse omnes suæ disciplinæ oblitos, vt nullus eorum meminerit, Iurisprudentiam esse nō minus diuinarum quàm humanarum rerum notitiam. Quid si profiterer atque pollicerer neque tam effœtam nunc esse Iurisprudentiam, neque tam profanum forum, quin aliquos aliquando proferre rursus possit? Ter-

tullianos, Minucios, Ambrosios, Nectarios, Chrysostomos? Vis etiam, vt iactare ausim quantum in collegio togato prçsidii mihi aduersus te esse confidam, si me pessundare non desinas? & tibi, si pergas, quantum, ab eo sit metuendum? Ex eo ordine prodibunt Oratores, qui si nō de tuis modo, sed & tuorum atque ad eo eius ardelionis, quem sine nomine nunc mihi opposuisti, facinoribus dicendum sit, muti profecto non erunt: & quia non nisi Ciceronianos ille amat, fortasse etiam hinc ordientur, *Quousque tandem abutere patiētia nostra Catilina? quandiu nos furor iste tuus eludet? quem ad finē sese effrenata iactabit audacia?* &c. Neq; tamē puerilis erit declamatio: sed erit acerrima accusatio, quam vel sola actorum vnius vel alterius anni, quæ in iudicium publicum vocabūtur, recitatio faciet horribilem: tametsi sciam posse videri prope ludicrā, vbi reus armatus iudices ipsos terret, & vi ius oppugnaturus. Erūt tamen etiā cū Orationibus illis Iurisconsulti, qui publicorum iudiciorum leges suggerent nō minus terribiles, & quidem à prima, quç Maiestatis est, huiúsque rursus speciē prima, quæ est perduellionis, exorsi, cum illam & antiquissimam & Regiam, quam horrendi carminis esse Liuius ait, obiicient, tum vero reliquas, quæ multæ sunt, ordine suo cumulabunt. Dicerem magnum earum fore terrorē. Sed miseræ leges, etsi inter arma non sileant,

quid nunc præter inanem vocem habent? Dicebant olim homines improbi, virtutem esse verba, vt lucum ligna. De legibus idem nunc impune dici quis non doleat? Legionibus vero nihil nisi leges opponi, quis nō rideat? Sed est tamen aliqua, sine vi, veritatis & iuris victoria. neq; si quis armis suis leges omnes nostras perfregerit, propterea victos fuisse nos integra posteritas, quæ de causa & re recte iudicabit, fatebitur. Hac ergo spe Legū fulmina cōtorquebimus aduersus vim armatā, si sæpius nos prouoces. Fecisti profecto & imperite & imprudēter, quod in me declamans hoc tēpore & hoc statu rerum, insusurrasti nescio quid de proditoribus & transfugis. Nam cū hi inter perduelles numerentur: perduelles autem esse dicantur, qui suę patrię & Reipub hostes sunt: facis, vt de illis quærēdo, nescio quid de te tuísque veniat multis in mentē, quod religionem mentiendo nunquam aut dilues, aut delebis: & vt quod amplissimus Senatus hisce diebus pronunciauit de hoc hostium siue perduellium siue rebellium genere, memoria repetamus: vix ut tuam maiestatem, quam (vt est in antiqua fœderū formula) comiter ipse quoque conseruare vellem, in tali reatu tueri semper possis. Iam vero si eam imminuāt illi, quos iritas: quid putas, facient, si etiam fiant Theologi? quales se triduo fore, si stomachū iis moueas, quidam profiteri audent. Nam

quanuis de ingenij tui laude nihil detraxerint (ingenuitatis enim est, agnoscere quid in vno quoque laudaudum sit) tamen in ordinem te redigere volent, quia te esse hominem, qui errare possit, sciant, & in illis tuis Commentariis, propter quos tu tam valde tumes, reliquósque omnes scriptores tam contumeliose despicis, id notare possint, ex quo liqueat non esse te, quod de te & ipse existimas & nos existimare vis. Nam etsi non inquirant subtilius in singula, & oblatis tantũ, paratísque subsidiis vtãtur, poterunt in tuis Bibliorum interpretationibus, quas à primo ad vltimũ vsq; caput pcurrẽt, facta collatione obseruare quod reprehendi possit, vel si nobiliores solũ locos excutiãt. Vt (exẽpli gratia) in eã, quam principio libri primi Mosaici de Mulieris semine, quod conteret caput serpentis adfers, interpretatione noua, an nihil statim reperient, quod reprehendant ex omnium aliorũ etiam veterum interpretum cõsensu? Denique cum ad finem Bibliorum peruenerint, & insignem illum locum Petri, de eo, qui prædicauit Spiritibus ἐν φυλακῇ, &c. voluent: an non minus nouam tuam expositionem respuere non poterunt? quam ne ille tuus alioqui subscriptor concoquere potuit: sibíque displicere minime dissimulauit: atque id quidem in quæstione de statu defunctorum, hodie controuersa. Quid? Memini etiã quid in disputatione alia

generis eiusdem, colligi velis ex illo Actorum Apostol. loco, δεξιᾷ ἰδίᾳ χειρὶ ὑπηρετήσας, &c. Sed rursus totum illud tuum ἐπιχείρημα vnico verbulo dissimulanter euertit idem ille alioqui tuus ὁμόψηφος. Sexcenta sunt eius generis, quæ non ego, qui ista non tracto, sed alius ali quis notauerit: ex quibus intelligas nō omnia verba, quæ fundis, esse oracula. Nescio an tua interesse putes, eo te modo admoneri. Sed si ille domesticus Censor alios lacessendo tandem excitauit vnum Castalionē tuum, à quo, quod minime expectabat, de suis interpretationibus audiuit: sperare debes non defuturū tibi aliquem monitorem. Neque tamen tanti mihi fuisset, te & alios per me intelligere, id quod tu & in aliorū scriptis facis, & in meis fieri curasti, posse & in tuis fieri: nisi si iam ea fuisset apud multos auctoritas tua, vt qui contra te sentiat, nihil sentire, & qui respondere irato tibi ausit, nullus esse diceretur: & eius auctoritatis exemplum tale, non in Repub. minus quam Ecclesia esset intolerabile: miniméque ferendum sit. Meus vero in te amor, qui, vt vides, non solum me verbosum facit, sed & reddit solicitum (nam & res est soliciti plena timoris, amor) efficit, vt cū ꝓspiciā, quæ te maneat dimicatio, nisi quiescas, iterūque iterūq; repetēs prioris Responsionis admonitionem, ingeminē istud, *Si te contineas, feceris sapienter. Nam & alij quid religio sit, sciunt.* Quod

enim præteritis aliis, vnũ me petere vis, alios etiam magis iritat. Ergo vt tibi tandem vale dicam, Ioannes Caluine vir clarissime, te obtestor, & per omnia, quæ te mouere possunt, sacra, obtestor, vt finem aliquem facias lacessendi atque maledicendi: & religionis, cuius omnem sensum delent infausta hæc certamina, quámque non in sola scientia hærere, sed in bona conscientia consistere, & sine charitate nullam esse, sæpe etiam monuisti, rationem habeas: nominísque Christiani, cui sempiternam maculam inurunt hæ concertationes, te misereat. Quo in statu nunc res sint, qua in perturbatione & confusione, nõ ignoras Ecquo ruant omnia, vides. Etsi funestissimo bello non arderent omnia: tamen in animis flammas odiorum accendũt hæc classica, quæ religionem, qua nihil tenerius est, infringũt & perturbant. Sine religionis autem sensu, quęnam erit tua, quantũuis acuta sit, Theologia? Legisti fortasse, cuinam hæretico Theodoritus olim exprobrauerit, factam ab eo esse τεχνολογίαν. Sed si ex ea efficias artem mentiendi, maledicendi, atque tumultuãdi: quo eam (putas) nomine alij appellabunt? Ex fructibus autem si de schola tua iudicetur: qualem (existimas) philosophiam esse multi dicent? Vetus & nimiũ vera est illa Ciceronis querimonia: *Quotus quisque philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo & vita constitutus, vt ratio po-*

ſtulat? qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tanta leuitate & iactatione, iis vt fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos: multos libidinum ſeruos, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio: quod quidē mihi videtur eſſe turpiſſimum, &c. Hęc ille. Non obiiciā tibi odioſius hác hominis & Romani & ethnici querelam. Sed quia precandi finem facere non poſſum, iterum te obteſtabor, vt ſaltem Apoſtoli ad tuos Galatas præcepta quædam, quæ aliis ſæpe commendaſti, ipſe audias, & ab eo ſaltem repetas verſiculo, εἰ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε &c. Denique eiuſdem Apoſtoli cōcionē ab Epheſios coniungas, & ad te tuóſque nominatim ſcriptam eſſe cogites: cúmque verba non das, ſed facis, imprimis illi pareas: meminerísque Theologiam, quæ dicitur, alioqui eſſe vix poſſe. Apoſtoli verba, quę tuo deinceps catechiſmo aſcribas, ſunt hæc: πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω, ἀλλ' εἴ τις ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι. καὶ μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. πᾶσα πικρία, καὶ θυμὸς καὶ ὀργὴ, καὶ κραυγὴ, καὶ βλασφημία ἀρθήτω ἀφ' ὑμῶν, σὺν πάσῃ κακίᾳ. γίνεσθε δὲ εἰς ἀλλήλους χρηστοὶ, εὔσπλαγχνοι, χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, καθὼς καὶ ὁ θεὸς ἐν χριστῷ ἐχαρίσατο ὑμῖν.

PARISIIS, M.D. LXII.

EXCVDEBAT. GVIL.

MORELIVS TYPOGRA-

PHVS REGIVS.

